
MEDITATIO
PHILOSOPHICO-CRITICA
DE
PERFECTIONE LINGUÆ
METHODO SCIENTIFICA ADORNATA.

AUCTORE
JACOBO CARPOVIO
Gymnasii Illustris Vinariensis Rectore.

ADJUNCTÆ SUNT
DUÆ DISSERTATIONES,
QUARUM ALTERA
DE VARIIS LINGUARUM PERFECTIONIBUS;
Altera vero
DE RECTA LINGVARUM
DISCENDARUM RATIONE
AGIT.





VENETIIS, MDCCXLVII.
APUD JO: BAPTISTAM RECURTI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

L.



non
C
rati
per
tio
er
re
Off
tis
mu
bon

ad
S.
lo
or
re

u
li
v
la

LECTORI BENEVOLO.

S. P.



Nter cetera, quibus hominem, sui imaginem, Deus brutis excellentiorem fecit, eminet oratio. Ratio equidem illum supra brutorum sortem inferiorem evehit; sed parva utilitas rationis sine oratione esset, ne dicam, ipsam quaque orationem non ultimum esse rationis perficiendæ adminiculum.

Cum loquela incipit & crescit usus in infantibus rationis; prouti illum in mutis exiguum esse, experientia comprobavit; loquelæ ope, quæ ipsi ex ratione cognovimus, cum aliis communicare, eosque erudire, monere, juvare, societatem cum iis colere possumus; quod ipse jam olim agnovit Cicero de Officiis lib. 1. cap. 16. *Vinculum*, inquiens, *societatis est Ratio, & Oratio; quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate.*

Quin cum loquela ad perfectiones Dei celebrandas adminiculum sit elegantissimum, mirum non est, quod, S. Scriptura teste, in ipsa creatione Deus habitum loquendi primo homini concesserit, ut adeo inde ab omnium rerum origine prima linguarum etiam origo recte repetatur.

Dum varias autem propter rationes factum est, ut quæ una in principio omnibus hominibus erat lingua, in diversas pro regionum nationumque diversitate scinderetur; uti quidem fieri solet, ut mala bonis, bonaque malis mixta, & nihil in tota uni-

versitate rerum ex omni parte perfectum sit, cuilibet linguæ uti perfectiones quædam insunt, ita imperfectiones adhærent, nec, quæ ex omni parte vel perfecta vel imperfecta sit, linguam inter homines dari, arbitror.

Quemadmodum autem, ipsa natura duce, remotis imperfectionibus, perfectioni studendum est: ita qui linguis emendandis operam navant, in eo potissimum sunt occupati, ut imperfectiones ex linguis removeant, perfectionemque debitam in eas, quantum quidem fieri potest, introducant.

Sed nulla ullius rei sine certis de perfectione illius regulis, sive confuse tantum, sive distincte cognitis, potest fieri emendatio. Non homo, ut exemplis assertum comprobem, vitam suam sine lege, nec pictor picturam, nec poeta carmen, nec arithmeticus calculum sine regulis, ad quarum normam agendum fuisset, emendare potest.

Hinc facile constat, nisi, in quo linguæ perfectio consistat, generaliter investigetur, nec linguæ emendationem posse suscipi.

Hæ aliaeque similes fuerunt rationes, quibus ad meditationes has de perfectione linguæ in lucem emittendas inductus fui, in quibus quidem, in quo linguæ perfectio consistat, & quænam ad illam pertineant requisita, distincte proponere constitui. Quia autem, generalia quædam de lingua præmittere, nec inconsultum, nec ingratum lectori fore, arbitratus sum, totum opusculum duo complectitur capita, quorum primum de lingua in genere, alterum de perfectione ejus specialiter & ex instituto agit.

Jucunda pariter ac utilia quædam in his meditationibus invenies Lector Benevole, quæ si Tibi placeant, gaudebo, si displiceant, Theonino dente rodere, quam imitari, facilius esse, credas velim.



MEDITATIONES PHILOLOPHICO-CRITICÆ DE PERFECTIONE LINGUÆ.

CAPUT PRIMUM.

DE LINGUA IN GENERE

Experientia Prima.

§. I.

Fieri non posse, ut, quas de hac vel illa re cogitationes animo geramus, alter immediate introspiciat, non solum experientia, optima omnium rerum magistra, satis docemur, sed inde etiam, quod soli Deo Καρδιογνωσια, S. Scriptura testante, vindicanda sit, evidenter datur colligere. Non cognoscimus cogitationes alterius immediate.

COROLLARIUM.

§. 2. Hinc si cum altero cogitationes nostras communicare volumus, rebus ejusmodi, ex quibus alter easdem cognoscere queat, opus est. Quid sequatur inde.

DEFINITIO I.

§. 3. Ens, ex quo præsentia alterius entis cognoscitur, dicitur *signum*, & quidem, si præsentia actualis sit, *demonstrativum*, si futura, *prognosticon*, si præterita, Quid signum sit & quotuplex?

rememorativum. Pariter *signum artificiale* dicitur, cujus significandi vis ab arbitrio entis rationalis, v. g. hominis, pendet; *naturale*, si ratio significatus in ipsis rerum notionibus continetur.

COROLLARIUM.

Quonam opus fit ad cogitationū communicationem?

§. 4. Ut cum aliis, quas mente gerimus, cogitationes communicare queamus, opus est signis certis, iisque demonstrativis (§. 2, 3.)

SCHOLION.

An signa cogitationum sint varia?

§. 5. *Signa, quorum ope aliis cogitationes nostras notas reddimus, admodum sunt varia. Quem enim fugit, capitis inclinatione assensum, vel reverentiam, commotione autem in utrumque latus dissensum declarari? Quis ignorat, conquassatione manuum, quam applausum vocant, beneplacitum ostendi? Nonne vestes lugubres mentis tristitia affectæ signum sunt?* 1. Reg. XXI, 27. *Tyronibus Scientiarum Mathematicarum cognita sunt signa* † —.: = ∽ V, *quibus additio, subtractio, multiplicatio, divisio, æqualitas, similitudo, extractio radicis indicantur. Apud Romanos veteres crimines rei, dum sententia ferenda erat, in genua provoluti, judicum genua ad misericordiæ implorationem indicandam osculabantur.* Valerius Maximus VIII., 1, 6; *judices autem ad urnas, quarum tot erant, quot judicum ordines, accedentes, e tribus, quas acceperant, tabulis unam illis immittebant. Nempe qui absolvendum credebant reum, eam, cui* A, *idest* ABSOLVO, *inscriptum erat; qui condemnandum, alteram, in qua* C, *idest* CONDEMNO; *qui denique dubitabant, tertiam, in qua* N. L, *id est* NON LIQUET, *legebatur, immittebant.* Heinecc. in Antiqu. Rom. lib. 4. t. 18. §. 31. p. 337. *Deprehendimus adhuc aliud exemplum in Antiquitate Romana. In suffragiis, post legem tabellariam a L. Cassio Trib. plebis latam, in legislatione per ta-*

tabellas a populo Romano ferendis alteri earum V. R. i. e. *uti rogas, alteri autem pro parte negante* A. i. e. *antiqua probo, erat inscriptum. Vid.* idem l. c. lib. I, tit. 2. §. 9. *Abstineo a pluribus exemplis in re nota adducendis. Sed inter signa cogitationum eminent voces & vocabula, de quibus jam pluribus est agendum.*

DEFINITIO II.

§. 6. Motus aeris tremulus per principia physica constituit *sonum*. Sonus autem in larynge excitatus dicitur *vox animantis*. Quid sonus & vox animantis?

SCHOLION I.

§. 7. *Definimus* h. l. *vocem in sensu generali, quatenus non tantum hominibus competit, sed in multis animantium brutorum speciebus etiam deprehenditur, & per loquendi usum non inconsuetum est, ut illis vox tribuatur.* Monitum.

SCHOLION II.

§. 8. *Loquimur porro de voce, qua ratione naturaliter per constitutionem & vim certorum corporis organorum, vocibus edendis destinatorum, formatur, non quatenus a fœminis divinatricibus ope Diabolica per γαςριμαντειαν sæpe producta fuit. De quo pluribus agit* Jo: Wierus de Præstigiis Dæmonum l. 2. c. 14. p. m. 203, *& cujus exemplum singulare adduxit* Mart. Schurig in Muliebribus sect. 1. c. 5. §. 13. p. 56. *Neque ad vocem sufficit, ut sonus oris sit, quia sonitus, quem lingua de palato fortiter mota, vel labia compressa & repente discrupta, vel dentes inter se arietatati, producunt, vocis nomine non denotatur; sed larynge debet excitari.* Aliud.

SCHOLION III.

§. 9. *Ceterum inter veteres philosophos quæstionem*: Corpusne sit vox, an incorporeum? *agitatam esse, hoc Platone & Aristotele, illud Epicuro & Stoicis defendentibus*, ex Plutarcho de Plac. Philos. L. 4. c. 20. Gell. Noct. Att. l. 5. c. Utrum vox corpus an incorporeum quid?

15. Diog. Laert. l. 7. segm. 55. *res est explorata. Momentum decisionis in eo positum est, utrum vox materialiter, an formaliter*, accipiatur? *Si* materialiter *sc. pro ipso aere tremulo, dubium non potest esse, quin sit corpus, quia aer ex corporum numero est; si vero* formaliter *pro motu tremulo, qui aeri imprimitur, erit aliquid incorporei. Nam ipse motus non est corpus, sed ejus potius affectio. Quia autem sapienter Gellius* l. c. *de hac controversia pronuntiavit*, se neque in his scrupulis aut emolumentum aliquod solidum, ad rationem vitæ pertinens, aut finem ullum quærendi vidisse, *nec illa ad nostrum pertinet institutum, obiter illam tetigisse, sufficiat.*

SCHOLION IV.

Quomodo vox animalis formetur? §. 10. *Quomodo tremor aeris in larynge excitetur, pertinet ad explicationem physicam. Sufficiat annotare, per fluidum nerveum, in cerebro formatum & a sanguine secretum, musculos laryngis inflari & ita ipsum laryngem motu tremulo, qui aeri e pulmonibus per illum exspirato simul imprimitur, affici.* Vid. Andr. Murray in Demonstr. Dei ex voce animalium §. 3. seqq.

EXPERIENTIA II.

Vox indicat cogitationes; §. 11. Ex voce cognosci solet, quas ens animatum animo cogitationes gerat. Sic, ne de hominibus jam dicam, vel ipsa bruta, quæ propter defectum pulmonum voce non destituuntur, voce animi sensa aperire audimus.

COROLLARIUM.

ut signum. §. 12. *Vox igitur est cogitationum signum*, (§. 3, 11.)

DEFINITIO III.

§. 13. Voces, quæ sola gutturis apertura simplici formantur, dicuntur *vocales*, Quid vocales, consonantes, literæ? quales sunt A, E, I, O, U, sive sonus producatur, sive abbrevietur, ut *vocales longæ* vel *breves* oriantur; quæ apertura

gut-

gutturis, ex duabus ſimplicibus compoſita, *diphtongi*, quales ſunt AE, AI, AU, ceteræ. Voces autem, quæ mediante vocali vel diphthongo proferuntur, *conſonantium* nomine veniunt. Vocales & conſonantes nomine generali dicuntur litteræ.

DEFINITIO IV.

§. 14. *Vox*, quæ ex vocabulis & conſonantibus componitur, dicitur *articulata*, quia hæ quaſi articuli vel membra illius ſunt; quæ ex illis non componitur *inarticulata*. **Quid vox articulata & inarticulata.**

SCHOLION.

§. 15. *Andr. Murray in Demonſtrat. exiſt. Dei ex voce animal.* §. 21, p. 28. vocem inarticulatam *definit*, quæ per nares & os ſimul fertur, vel immoderate profunditur, articulatam, quæ per oris partes & aperturam, nec non per nares diſtinguitur. *Sed hæ definitiones cum noſtris conveniunt, ſi quidem ita intelligas, quod per aperturam oris vocales, per partes ejus* e.g. *labia, linguam, dentes, palatum conſonantes efferantur in ſono articulato.* **Monitum.**

COROLLARIUM.

§. 16. Brutis igitur, licet, teſte experientia, quam in variis avium generibus deprehendimus, conveniant variæ vocis modificationes, proprie tamen, quia voces illorum ex vocalibus conſonantibuſque non componuntur, vox articulata tribui nequit (§. 14.), niſi forte in ſenſu generaliori & minus uſitato ipſas modificationes articulationem vocis appellare placeat. **An Brutis vox articulata competat.**

DEFINITIO V.

§. 17. Voces articulatæ, quibus cogitationes certæ indicantur, vocamus *vocabula*. **Vocabula quid ſint?**

CO-

COROLLARIUM.

An Bruta vocabula pronuncient?

§. 18. Hinc licet brutis, experientia teste, pro diversitate specierum suarum certæ voces, quibus cogitationes suas solent exprimere, competant: nulla tamen vocabula, natura duce, ab illis proferuntur (§. 16, 17.), licet arte & assuefactione aves nonnullæ eo deduci possint, ut vocabula quædam pronuncient, prouti satis hoc notum est de psittaco, & mihi aliquando sturnum, distincte hæc verba: ich empfehle mich ihnen zu Gnaden, ut &: ich weiss mir ein herrlichs Himmelreich, & alia ejusmodi pronunciantem audire & videre licuit.

THEOREMA I.

Vocabula sunt

§. 19. Vocabula sunt signa cogitationum, eaque arbitraria & aptissima.

DEMONSTRATIO.

Cogitationum signa

1. Per vocabula cogitationes nostras alteri indicamus (§. 17.), adeoque per ea, quas mente cogitationes geramus, cognoscit alter. Sed ens, ex quo alterius entis præsentia cognoscitur, dicitur signum (§. 3.) Hinc vocabula non possunt non signa esse cogitationum.

Arbitraria

2. Quia vero ab arbitrio hominum pendet, ut hoc ens hoc nomine, e. g. apertura muri, ad domum illuminandum, *fenestra*, appelletur, cum alio etiam denotare potuissent, prouti etiam diversæ nationes rem eandem diversis nominibus exprimere solent: vocabula sunt signa cogitationum arbitraria vel artificalia (§. 3).

& aptissima.

3. Res, de quibus nobis notiones formare solemus, infinitis modis variant, quod qui vel obiter sensibus aut ratione utitur, oppido perspicit. Sed voces etiam articulatæ, quibus eas notiones exprimimus, h. e. vocabula (§. 17.), infinitis modis variari possunt, quod, ne de unica lingua dicam, tot linguarum diversitates evi-

den-

dentер oſtendunt; cum e contrario non niſi paucas res per alia ſigna indicari poſſe, mutorum exemplo conſtet. Pariter varias res ad ſe invicem relationes & reſpectus habent, qui exemplo facile perſpiciuntur, ſi e. g. dicam: Pater amat filium, filius eſt patris, patri ſe commendat filius, venit ad patrem, a patre, cetera. Sed varii illi reſpectus per aliquam vocabuli mutationem, retento ſono primario, facile & commodius, quam per alia cogitationum ſigna, poſſunt exprimi. E. vocabula ſunt ſigna cogitationum aptiſſima.

SCHOLION.

§. 20. *Non obſtat mihi, quod alia ſigna, qualia ſunt cyphræ Arithmeticæ, in inveniendis veritatibus commodiora vocabulis interdum deprehendantur, dum ope cyphrarum facilius calculus quam per vocabula producitur. Nobis enim hoc loco de ſignis cogitationum, in uſu vitæ quotidiano adhibendis, eſt ſermo.* Monitum.

DEFINITIO VI.

§. 21. *Audiens loquentem intelligere* dicitur, ſi eandem ſibi ſub vocabulo audito cogitationem, vel notionem format, quam format loquens. Et generalius *unus alterum intelligit*, ſi eandem ſibi ſub ſigno externo notionem format, quam cum illo conjungit alter. Nam per alia etiam ſigna cogitationes noſtras cum altero communicare poſſumus (§. 5.) Pariter hinc patet, *falſo audientem intelligere loquentem*, ſi idea, ſub vocabulo audito ab ipſo formata, ab idea loquentis diverſa ſit. Quando unus alterum intelligat?

SCHOLION I.

§. 22. *Sic e.g. ſi nomino vocabulum* Sol, *& alter cum eo conjungit notionem de corpore cœleſti, tempore diurno nos illuminante & calefacien-* Exemplum.

te,

te, quam cum eadem voce ego conjungo, me intelligere recte dicitur.

SCHOLION II.

Qui fiat, ut per verba nos invicem intelligamus.

§. 23. *Ut verborum, vel aliorum signorum ope nos invicem intelligamus, pendet ab imaginationis regula, vi cujus, si duas ideas in mente conjunximus, vel illæ aliquid commune habeant, una earum reproducta, reproducitur etiam altera.* Vid. Christ. Wolffii Psychol. Emp. §. 117. *Scilicet ab ineunte ætate, vel data occasione, notionem rei perceptæ & nominis auditi vel lecti in mente conjungimus; unde fit, ut, nomine iterum audito, notio rei denuo menti obversetur, adeoque, dum loquens eandem notionem cum voce prolata conjunxit, eum intelligamus* (§. 21.)

DEFINITIO VII.

Sermo quid sit?

§. 24. Ex vocabulorum compositione oritur *sermo*; qui hinc est status mentis per voces articulatas significatio. Erit autem *intelligibilis*, si verba ita componantur, ut in altero ideæ, ideis loquentis conformes, ope vocabulorum excitari queant; si res secus sese habeat, minus intelligibilis (§. 21.)

DEFINITIO VIII.

Quid Lingua & Loquela?

§. 25. Habitus sermonem intelligibilem formandi appellatur *Lingua*. Et quisquis statum mentis per voces significat, dicitur *loqui*.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 26. *Sic si infans linguam vernaculam docetur, habitum sermonem intelligibilem formandi debet adquirere. Qui ignarus est Linguæ Latinæ, caret habitu, sermonem intelligibilem in hac lingua formandi, dum vocabula ejus non potest modo componere intelligibili. Differentia autem inter lo-*

que-

quelam & cantum in eo consistit, quod illa sine, hæc cum modulatione fiat. Potest etiam ex datis definitionibus quæstio inter Philosophos agitata : an brutis loquela tribuenda sit? *facile decidi. Si ad loquelam voces tantum, nec determinate articulatas, ad sermonem autem articulatas requiras, uti a nobis positæ sunt definitiones* (§. 24, 25.), *loquela quidem, non sermo brutorum erit, cum e contrario, loquela cum sermone habita pro eodem, nec illa eis erit tribuenda* (§. 16, 24.)

COROLLARIUM I.

Quomodo Lingua adquiratur naturaliter?

§. 27. Dum omnis habitus naturaliter adquiritur per actum ejusdem speciei sæpe repetitum, h. e. per exercitium, siquidem habitus naturalis non est, nisi facilitas agendi per exercitium adquisita : sequitur, linguam etiam naturaliter non nisi per crebrum exercitium adquiri (§. 25.)

COROLLARIUM II.

An variæ linguæ sint possibiles?

§. 28. Quia pro diversitate compositionis vocalium & consonantium varia vocabula (§. 17, 14.), & hinc etiam varii sermones intelligibiles formari possunt (§. 24.), variæ etiam formari possunt linguæ (§. 25.)

SCHOLION.

Causæ diversitatis Linguarum quænam sint?

§. 29. *Admodum varias actu pro diversitate gentium, regionum & provinciarum linguas dari, res est vel ignarissimis exploratissima. Prima & antiquissima diversitatis Linguarum ratio, ipso S. Codice docente,* Gen. XI, 1. seqq. *ab infelicibus turris Babylonicæ exstruendæ conaminibus repetenda est, ubi, si quid de confusione illa distincti suspicari licet, ministeria fabrorum ita videntur conturbata esse, ut ligno postulato, ferrum afferretur, donec fabrorum quilibet, opere imperfecto relicto,* Saccoque *suo adprehenso, in alium locum migraret. Sed præter hanc primam diversitatis linguarum Causam non defuerunt eruditi in aliis pervestigandis.* Olaus Borrichius in doctissima de causis diversitatis Lin-

Linguarum Diatriba §. 7. ſeqq. *diverſitatem temperamentorum & climatum, ſonos rerum naturalium varie conceptos expreſſoſque, ſiniſtram matrum, nutricum, pædagogorum elocutionem, inconſtantiam rerum, hominum incuriam, bella & victorias, commercia, connubia, migrationes gentium, & gentium vicinarum converſationes in illis rectiſſime allegavit*. Addatur ED. BREREWOOD L. de diverſ. Lingu.

DEFINITIO IX.

Lingua vernacula quid ſit?

§. 30. Ex variis linguis illam nobis *vernaculam* eſſe dicimus, quam diſcimus, antequam ullam aliam intelligamus linguam.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 31. *Hoc ſenſu Lingua Germanica eſt nobis vernacula, & pariter ſi infans, in Germania natus, ſermonis adhuc expers, in Angliam deductus, Anglicam primum diſceret Linguam, hæc illius eſſet vernacula.*

COROLLARIUM.

Quomodo diſcatur?

§. 32. Dum nulla Lingua, niſi per crebrum exercitium, naturaliter adquiritur (§. 27.), ad vernaculam diſcendam crebrioribus etiam exercitationibus opus eſſe conſtat (§. 30.).

SCHOLION I.

Continuatio.

§. 33. *Quænam exercitia ad Linguam vernaculam diſcendam in vitæ uſu neceſſaria ſint, ex experientia conſtat. Scilicet dum infans ſenſu objectum percipit, & audit ſonum nominis pronunciatum, tamdiu organa loquelæ torquet, donec ſimilem ſonum protrudat. Quo peracto, ad modum vocabula conſtruendi, ab aliis adhibitum, attendens, ſimili modo ad habitum, ſermonem intelligibilem formandi, h. e. ad Linguam* (§. 25.) *pervenit.*

SCHOLION II.

Quomodo a nativitate ſurdus linguam vernaculam diſcere queat?

§. 34. *Sed cum hac ratione auditus ope linguam vernaculam diſcamus, & hinc ſine auditu eam diſci poſſe* neget Ariſtoteles Problem. Sect. XI.

XI. p. m. 901. *mirum videri possit*, qui queat fieri, ut surdus, a nativitate talis, linguam discat vernaculam? *Dum enim non audit sonos ab aliis formatos, nec imitando poterit exprimere. Verum enim vero prouti nihil non humana adgreditur solertia, ita quoque artem, surdos linguam vernaculam docendi, invenerunt.* Dan. Georg. Morhoff in Polyhist. Litterar. libr. 2. c. 3. p. m. 339. seqq. *ex Valesii libro de sacr. Philosoph.* c. 3. *narrat, Petrum Pontium, ordinis Benedictinorum, & amicum ejus circa* A. C. 1590. *in Hispania mutos loquentes reddidisse, quam artem Jo. Paulus Bonnet* A. 1620. *Madriti litteris divulgavit sub titulo*: Arte para ensennar a ablar los mudos. *Post eum licet aliter Fr. Helmontius* lib. de Alphab. nat. *& Guil. Holder* lib. de elementis loquelæ *eandem artem descripserunt. Pariter Jo. Wallisius in* Tr. de Lingua, *quem Grammaticæ Anglicanæ præmisit, eandem artem explicuit, eandemque in Daniele Whaley* A. 1662. *surdo mutoque exercuit; cujus facti memorabilis in* Transactionibus Anglicanis Num. 61. p. 1087. *pluribus mentio est facta. Nec minus Jo. Conr. Amman Med. Doct. in Batavia* puellam *surdam mutamque assuefecit, ut non solum ex motibus oris, quæ loquens formaret, quid loqueretur, perspicere, sed ipsa etiam cum aliis loqui posset; remque totam* A. 1692. *in* Tr. Surdus loquens, *& deinde in Dissertatione* de Loquela A. 1700. *descripsit. Taceo exemplum recentissimum Viri Doctissimi Raphaelis Superint. Luneb. qui simili artificio filiam suam surdam loquentem reddidit, illiusque rei notitiam orbi litterato impertitus est in scripto peculiari; quemadmodum etiam Werenfels in Diss.* de Loquela *egregia multa hanc in rem habet. Totum artificium huc redit:* 1. *Quemadmodum ad quamlibet litteram vocalem vel consonantem exprimendam peculiaris vel oris apertura, vel organorum loquelæ modificatio requiritur: sic etiam, si quis*

ad

ad hæc duo in altero loquente attendat, inde, quam vocalem vel consonantem litteram exprimat, poterit cognoscere. Sed ex litteris constant vocabula (§. 17, 14.). *Ergo eadem ratione, qua vocabula alter exprimat, perspicere poterit. Et quia ex vocabulorum compositione oritur sermo* (§. 24.), *quin sermo alterius, longa exercitatione adhibita, ex motibus oris cognosci queat, non potest dubitari. Simili, a scriptione desumpto, res potest illustrari. Quemadmodum in negotio dicto qualibet littera ex peculiari motu oris cognoscitur, ita in scriptione pro qualibet littera exprimenda peculiare signum substituimus. Hinc veluti legens, habitu adquisito, ex signis litterarum compositis, quid alter loqui voluerit, intelligit: ita, perspectis variis oris motibus, quid alter dicat, debet posse intelligi. 2. Ut autem surdus loqui discat, opus est, ut ad formationem motuum oris in loquente attendat, & imitando eosdem studeat exprimere, pariter ac, qui facultate audiendi instructus est, sonos auditos imitari conatur. Quin difficilior videtur labor esse, ut infans imitetur sonum, auditu solo perceptum, non perspecto formationis per organa loquelæ modo, quam ut surdus imitetur sonum, cujus formationem in ore alterius cognoscit.* Vid. Lud. Phil. Thummig Experimentorum pars III, n. 6. p. 206.

DEFINITIO X.

Lingua peregrina quid sit?

§. 35. *Linguam*, quæ nobis vernacula non est, vocamus *peregrinam*.

COROLLARIUM.

Quomodo naturaliter adquiratur?

§. 36. Lingua peregrina naturaliter non adquiritur, nisi per crebrum exercitium (27. 35.).

SCHOLION I.

Observatio de peregrinarum Linguarum habitu in Apostolis.

§. 37. *Dico studiose*: naturaliter, *ne casus miraculi plenissimus de Apostolis Servatoris nostri meritissimi, qui primo pentecostes die pro dono & gratia Spiritus Dei extraordinariæ habitu linguarum*

rum peregrinarum, nullis exercitationibus præcedentibus, exornabantur, teste Luca Act. II. *nobis opponatur. His enim, cum rudes per se essent homines, accidebat, ut, Spiritu Sancto se in illos effundente, linguæ eorum divisæ & quasi igneæ in symbolum habitus diversarum linguarum externum apparerent; quo facto linguarum peregrinarum habitum, prout Spiritus Sanctus ipsis largiebatur, sine dubio per omne vitæ tempus retentum accipiebant. Quamvis enim Salmasius in* Comment. *de Hellenistis* p. 252 seqq. *audacter,* An per totam vitam duraverit? *Apostolos peregrinarum linguarum habitum ultra primum pentecostes diem retinuisse, neget, pugnant tamen contra eundem rationes longe gravissimæ, & distinguendum est inter symbolum habitus linguarum peregrinarum externum, quod erat apparens linguæ in ore igneæ divisio, & ipsum peregrinarum linguarum habitum. Symbolum externum solo primo Pentecostes die apparuisse, lubenter concedimus; ac vero ipsum habitum linguarum peregrinarum per omnem vitam durasse, defendimus. Eo enim consilio Deus hunc habitum Apostolis concedebat, ut, licet rudes linguarumque peregrinarum ignari essent homines, tamen mandatum Domini de Evangelio, omnibus in terra gentibus prædicando* Matth. 28, 19. *executioni dare possent. Qui cum per omnem Apostolorum vitam duraret finis, medium etiam, quod habitus linguarum erat, non potuit non diu ultra primum Pentecostes diem perdurare. Dum Deus enim finem voluit, media pro sapientia sua non potuit non velle. Accedit, quod in Ecclesiæ incunabulis aliis etiam ad Deum Christumque conversis, ad celeriorem Doctrinæ Evangelicæ propagationem, donum linguarum per gratiam extraordinariam fuerit concessum* Act. X, 46. 1. Cor. XIV, 26, 27. XII, 10. *Unde multo minus, Apostolos eo caruisse, credendum est.* Ad rationes Salmasii autem respondit Chr. Fr. Paullini in Delic. Philos. T. 2, n. 44, seqq. p. 329 seqq.

SCHOLION II.

Quomodo discatur Lingua peregrina?

§. 38. *Quibus exercitationibus autem opus sit, ad linguam peregrinam discendam, ex experientia discimus. Nempe discimus illam vel ex usu, vel per artem. 1. Si ex usu, eadem se ratione res habet, ac si infans discit vernaculam (§. 33.). 2. Si autem per artem & institutionem, α) nomen rei in lingua peregrina e. g. Gallica in Phantasia & Memoria conjungimus cum nomine rei in lingua vernacula, ut ope regulæ imaginationis, audito vel lecto nomine peregrino, in mentem veniat nomen ejusdem rei in lingua vernacula; vel menti obversante nomine in lingua vernacula, simul recurrat alterum in peregrina, β) deinde ad modum verba construendi legitimum, & linguæ peregrinæ cum vernacula communem & proprium est attendendum.*

THEOREMA I.

Homo natura facultatem loquendi habet,

§. 39. **Homo natura habet quidem dispositionem vel facultatem loquelæ (sc. articulatæ), sed non habitum.**

DEMONSTRATIO.

1. Dum existentia semper possibilitatem, & hinc actus facultatem agendi supponit (per principia metaphys.), in hominibus autem loquelam actu deprehendimus, non potest non dispositio ad loquendum, a certa organorum corporis dispositione pendens, in illis supponi. Nam si dispositio natura abesset, nec posset actus loquendi unquam adesse.

sed non habitum.

2. Cum vero lingua tam vernacula, quam peregrina non nisi per crebram exercitationem adquiratur (§. 32, 36.), habitum loquendi homini non a sola natura competere, est perspicuum. Nam quidquid exercitationibus adquiritur, id natura homini non inest, siquidem si na-

natura inesset, non opus esset exercitationibus.

SCHOLION I.

§. 40. *Natura homini habitum loquendi non competere, docent etiam a posteriori experimenta & observationes.* Infantes, *inquit Quintilianus* lib. X, c. 1. a multis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quædam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. *Pertinent huc varia tam ex vetustiori, quam recentiori historia exempla. Rex Ægyptiorum Psammetichus*, teste Herodoto lib. 1. hist. *cupiditate pernoscendi, quænam esset lingua primæva, de qua inter Ægyptios & Phryges magna contentio erat, flagrans, hoc instituebat experimentum. Duos infantes a capris educari & a pastore, seu, ut volunt alii, a nutricibus, quarum linguæ abscissæ erant, curari jubebat. His deinceps nomen βεκκος, quod apud Phryges panem significat, &. a quo multi Germanorum* Wecken *derivatum volunt* (vid. Herm. Lignaridus in Oblectat. Academ. c. 3.), *distincte pronunciantibus, conclusit Psammetichus, linguam Phrygum omnium esse antiquissimam. Quis autem non videt, pueros istos, si fabula vera sit, a capris ovibusque, in quarum consortio enutriti fuerunt, hanc vocem, cujus initium illarum balatui proximum est, mutuasse, & Regis vel Græci Historici immaginationem addidisse terminationem? Quemadmodum idem observavit* Steph. Morinus de Lingua primæva Exerc. 1, c. 6. *ubi contra eos, qui linguam aliquam homini naturalem finxerunt, disputat. Rex Maguth*, referente Sennerto in Paralip., *ex sepositis XXX pueris nil nisi voces confusas & indistinctas retulit.* Franc. Catrou dans l'histoire generale de l'Empire du Mogol p. 137 *de Rege Indostano, Melabdi Akebar*, narrat, *eum XII infantes arci cuidam cum nutrice & janitore mutis includi jussisse, ut, quænam olim lingua sint gavisuri, experiretur;* Quod illustratur experimentis

hos autem post XII *atatis annum e custodia dimissos, nullam plane protulisse linguam, gestibus tantum (quibus tamen forsan nonnulla voces inarticulata fuerunt addita ;), qua vellent, ostendentes. Suppetunt etiam exempla hominum, in tenera atate a commercio adultorum casu forsan divulsorum, & eodem defectu lingua laborantium. Exemplum* narrat Auctor Anonymus Miraculorum Naturæ P. II. Disc. I his verbis: *In venatu luporum, a quibusdam Nobilibus viris & rusticis in Sylva Arduenna instituto, (qui multum negotii illis facessivit,) inter duodecim lupos interfectos lupa occisa quoque inventa fuit, quam infans septem circiter annos agens totoque corpore nudus sequebatur. Corporis color ad foliorum caducorum colorem accedebat, capilli flexi ac flavi, manuumque pedumque ungues aliquantum intorti erant. Hicce matrem suam videns mortuam interfectores illius aggredi est conatus; sed ab hominum multitudine circumdatus tandem captus fuit. Plane nihil loquebatur, sed vocem continuam vituli voci similem edebat. Quo facto in cujusdam nobilis domum ductus non sine magno labore compedibus strictus fuit. Cibus ipsi deducebatur, donec domari poterat. Loqui minus septem mensibus didicit. Quo facto per urbes, pagos, villas, castella fuit circumductus. Multi nobiles Galli testimonium perhibere possunt, se hominem in Sylva ad Compendium sita captum Regique Carolo* IX *adductum vidisse. Hic bestiarum instar quatuor incedebat pedibus, cursuque equum antecellebat. Erectus stare nequibat, cuteque admodum dura ac pilosa gaudebat. Sermo ejus ingens horridusque erat clamor, quem tanta rugosa fronte emittebat, ut nullius fera aspectus tam horribilis sit, ac illius miserandi hominis, qui cum lupis conversatus ululare ab iis didicerat. Ceterum canes dentibus suis enecare ipsi volupe erat; id quod etiam hominibus evenit, si illorum compos fieri poterat.* Nic. Tulpius in Observ.

& observationibus.

serv. Med. lib. 4, c. 10. mentionem facit *juvenis instar ovis balantis, publice Amstelodami circa medium seculi XVII visi, qui inter sylvestres in Hybernia oves ab infantia enutritus, vocem & naturam induit ovillam, & de re nulla, nisi gramine, fœno, aqua, sollicitus, tandem post XVI ætatis annum, ad feræ instar, captus & commercio humano mitigatus est. Nec silentio involvendus est casus, cujus* Bern. Connor in Evang. Medici artic. 15. p. 133 *mentionem facit*, A. 1694. *in nemoribus, ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis, a venantibus sylvicolis inter ursorum gregem juvenem sylvaticum, X circiter annos natum, adspectu horridum, pilis hirsutum, captum esse, qui nec rationis, nec loquelæ, imo ne vocis quidem humanæ usu gavisus fuerit, accedente autem institutione, demum verba quædam rauca & inhumana voce proferre inceperit. Injuria omitterem casum similem recentissimum juvenis, prope Hameliam* A. 1724 *capti & humana destituti voce, quem descripsit cum aliis ejusmodi Kœnig in Schediasmate de hominum inter feras educatorum statu naturali solitario. Quæ omnia evidentissime, natura loquendi habitum homini non inesse, docent. Nec difficulter ratio, cur homines, ab ineunte ætate a consortio adultorum, vel saltim adultorum lingua pollentium, remoti, etiam lingua caruerint, invenitur. Lingua ordinarie ita discitur, ut cum idea de objecto ideam de nomine ejus audito in mente conjungamus & sonum hujus imitatione exprimere, nitamur* (§. 33.). *Jam si homo abineunte ætate a consortio hominum remotus sit; adeoque nullum alium loqui audiat, pariter se res habet, ac si ipse surditate laboret, adeoque, pariter ac surdus, facultate loquendi destitutus manere debet.*

Cur lingua careant extra societatem hominum educati?

SCHOLION II.

§. 41. *Dispar in hoc hominum & brutorum ratio est, & præstantior horum quam illorum conditio esse videtur. Quamvis enim, brutorum pullos*

Bruta voces suas edunt natura.

pullos quasdam voces ex imitatione parentum haurire, negandum non sit, prouti, luscinias pullos vocis cantusque variationem docere, testatur Aristoteles in Hist. Anim. lib. 4, c. 9, & Ælianus Hist. Anim. l. 3, 40: *plerasque tamen bestias, quas edunt, voces ex instinctu naturæ suæ, nec ex disciplina haurire, veritati est consentaneum. Pulli gallinarum, si vel galli gallinave vocem non audiverunt, vel ab alia volatilium specie exclusi fuerunt, sua tamen speciei vocem exacte exprimunt. Idem de aliis brutis, quæ vocem aliorum sui generis non audiverunt, observare licet. Quamvis autem homo natura linguam non habeat* (§. 39.); *nihilominus si loquelam in structura corporis humani fundatam esse consideremus* (§ 39.), *posito humano consortio, ejusque usu fat diuturno, citra alterius cujusdam linguæ prævium adminiculum linguam aliquam evolutum iri, probabile est. Sonis enim certis homines res obvias denotarent, ex quorum variis modificationibus & compositionibus tandem loquela articulata orietur.* Vid. Kœnig. Schediasmate cit. § 17.

SCHOLION III.

Monitum. §. 42. *Cur autem quædam bestiæ vocem aliarum alterius generis, & quædam aves vocem humanam cantando, aliæ loquendo, aliæ plane non imitentur, de eo conjecturas quasdam adduxit* Murray de Voce Animal. § 27, 28, p. 35 seqq.

DEFINITIO XI.

Scribere quid sit? §. 43. Quemadmodum qui sermonem ore format, dicitur loqui (§. 25.); ita *scribere* dicimus eum, qui voces certis signis exprimit.

SCHOLION I.

Illustratio. §. 44. *Sic e. g.* א, α, a, *sunt signa vocis, per maximam oris aperturam simplicem formandæ. Si quis igitur illam vocem per tale, vel aliud signum exprimit, scribere dicitur.*

SCHO-

SCHOLION II.

Triplex signorum in scribendo genus.

§. 45. *Potest autem per signum, quo in scribendo utimur, exprimi vel*

1. *Vox vel sonus simplex, isque vel vocalis vel consonans, qualia sunt* e. g. a, b, c, *cetera, quorum compositio modo admodum naturali imitatur modum, verba ore pronunciandi; vel*

2. *Vox sonusve compositus, qualia sunt* e. g. &, Ψ, ς, ϖ *cetera; vel*

3. *Vocabulum integrum, qualia sunt in Arithmetica Cyphræ,* 1, 2, 3, *ceteræ, vel in Astronomia* ☉ *Sol,* ☽ *Luna,* ♈ *Aries,* ♉ *Taurus, in Græcis* ϗ, *cetera. Et hæc duo ultima signorum genera faciunt ad* Tachygraphiam, *quæ est ars repente scribendi.*

THEOREMA III.

Qualia sint signa, quibus in scribendo utimur?

§. 46. Signa vocalium, consonantium aliaque, quibus in scribendo utimur, sunt arbitraria, vel artificialia.

DEMONSTRATIO.

Signum artificiale dicitur, cujus significandi vis ab arbitrio entis rationalis e. g. hominis pendet (§. 3.). Cum autem ab arbitrio hominum pendeat, ut u. g. signum A denotet sonum, per maximam eamque simplicem oris aperturam prolatum, cum idem sonus etiam per signum B vel C potuisset exprimi, & reliquorum par sit ratio, illa signa artificialia, vel arbitraria esse, dubitari nequit.

COROLLARIUM.

Diversitas vel convenientia signorum in scribendo unde?

§. 47. Hinc mirum non est, diversa diversas gentes signa, ad vocales consonantesque exprimendas, adhibuisse, prouti alia Arabum, alia Æthiopum, alia Syrorum, alia Samaritanorum, alia Hebræorum, alia Græcorum, alia Latinorum sunt. Sed quia illa signa sunt arbitraria (§. 46.), fieri etiam potest, ut gentes, quæ diversis utuntur linguis, eadem tamen signa vo-

calium & consonantium adhibeant; prouti Hispani, Itali, Galli, Angli cum Latinis iisdem utuntur litterarum signis, nec signa Germanorum qua ductus essentiales ab illis differunt.

SCHOLION.

Monitum. §. 48. *Quis autem prima vocalium consonantiumque signa invenerit in scribendo, pertinet ad Artem Criticam, & nostri jam non est instituti, ut sollicite investigemus.*

DEFINITIO XII.

Cryptographia quid sit? §. 49. *Ars occulte scribendi*, h. e. ita, ut qui clavem non possidet, non legere, nec intelligere queat, dicitur Cryptographia. *Clavis* autem hoc loco dicitur index, quænam vocalis, vel consonans, vel quod vocabulum cuilibet signo respondeat.

THEOREMA IV.

An dari possit? §. 50. Cryptographia est possibilis.

DEMONSTRATIO.

Quia signa vocalium consonantiumque sunt arbitraria (§. 46.), cuilibet signo alius soni valor potest imponi, quam ordinarie ei respondet, vel alia signa possunt inveniri; quæ si in verba componantur, oritur scriptura, quam qui clavem non possidet, nec legere, nec intelligere poterit. Est igitur Cryptographia possibilis (§. 49.).

PROBLEMA.

Quomodo exercenda? §. 51. Qua ratione Cryptographia est exercenda.

RESOLUTIO.

1. Construatur Clavis, h. e. Alphabetum peculiare, ut cuilibet vocali, vel consonanti, vel verbo peculiare, nec usitatum signum tribuatur.

2. Secundum illud verba, vel tota oratio componantur.

3. Le-

3. Legens autem aut peculiare illud Alphabetum sibi familiare reddat, ut ex habitu valorem cujuslibet signi sciat, & verba inde componere possit, aut ex Alphabeto inusitato scripturam occultam in Alphabetum receptam transponat.

SCHOLION.

§. 52. *Exemplo rem, ut facilius intelligar, illustrabo. Sit Alphabetum peculiare hoc:*

A B C D E F G H I K L M N O P Q R
y m a r h e q u z b n c o d f g p
S T V X Y Z.
i s k t x l.

Jam si hæc verba scribenda sint. Deus est sapiens & benignus, *secundum hoc Alphabetum arbitrarium signa litterarum ita erunt componenda: rhki his iyszhoi hs mhozqoki. Facile autem patet, pro signis vocalium consonantiumque alia etiam signa assumi posse.*

THEOREMA V.

§. 53. Lingua tam per loquelam, quam per scripturam potest exerceri. Quomodo lingua exerceri possit?

DEMONSTRATIO.

Habitus sermonem intelligibilem formandi dicitur Lingua (§. 25.), sermo autem ex vocabulorum compositione oritur (§. 24.). Jam vero vocabula non tantum sono oris, idque modo intelligibili, componi possunt, uti experientia satis convincimur; sed etiam voces vocalium consonantiumque certis signis exprimi, & ex compositione illorum vocabula [§. 24.], ex horum autem compositione, modo intelligibili facta, sermo isque intelligibilis formari potest. Hinc tam per loquelam, quam per scripturam lingua potest exerceri [§. 25.].

SCHO-

SCHOLION.

Loquelæ & Scriptionis commoda & incommoda.

§. 54. *Habet autem tam scriptura, quam loquela qualibet commoda sua peculiaria. Sermone prolatus vehementius mentem afficit, affectus ciet, multoque vividiores repræsentationes animo audientis imprimit, quam scriptus, sed a paucis iisque præsentibus tantum percipitur, & nubeculæ instar mox dispariturae perit. Scriptura e contrario a multis, iisque vel in remotissimis terræ angulis latentibus legi & intelligi, & per multas annorum myriades ad posteros propagari potest, licet non cum tanta vehementia animum legentis afficiat. Divinum igitur in scribendi artis inventione beneficium latet.*

THEOREMA VI.

Species vocabulorum variæ.

§. 55. **Variæ vocabulorum species in qualibet lingua esse debent.**

DEMONSTRATIO.

Vocabula sunt cogitationum signa (§. 59.). Res autem, de quibus cogitationes formamus, variis inter se speciebus differunt, dum aliæ per se subsistunt, aliæ non, aliæ sunt actiones, aliæ passiones, cetera. Hinc ut vocabula res exprimendas imitentur, ut variæ vocabulorum species in lingua invenirentur, opus fuit.

DEFINITIO XIII.

Nomina substantiva adjectiva quid?

§. 56. Vocabula, quibus res sive per se, sive per alia subsistentes, denotantur, dicuntur *Nomina*. Nomen autem, quo res vel per se subsistens, vel ut per se subsistens considerata, denotatur, dicitur *Substantivum*; idque si generi vel speciei competat, *Appellativum*, si individuo *Proprium*. Nomen autem, quo res per aliud subsistens, ut talis spectata, denotatur, *Adjectivum* dicitur.

SCHO-

SCHOLION I.

§. 57. *Sic* e.g. *Arbor est nomen substantivum idque appellativum, quia genus certum rerum, per se subsistentium, per id vocabulum denotatur. Eruditio est nomen substantivum, quia res quidem, per alind scil. hominem subsistens, attamen ut per se subsistens spectata, per illud denotatur. Eruditus e contrario adjectivum est.* Exemplum.

SCHOLION II.

§. 58. *Quia interdum de unico, interdum vero de pluribus simul loquimur, certa nominum variatione opus est, ad illud indicandum; unde oriuntur* Numerus singularis, pluralis, *&* *in nonnullis linguis* Dualis. Unde Numeri

SCHOLION III.

§. 59. *Pariter dum ens, de quo loquimur, in vario cum aliis nexu, variaque ad alia relatione esse potest, ad illud denotandum, aut certa nominis variatione, aut aliis signis, uti in Hebræorum lingua, opus est; unde* Casus nominandi, generandi, dandi, accusandi, vocandi, auferendi, *ortum trahunt.* & Casus?

SCHOLION IV.

§. 60. *Entia, de quibus loquimur, alia sexus masculini, feminini alia sunt, in aliis sexus non datur. Orta hinc est differentia nominum, ut alia* masculini, feminini *alia, alia* neutrius Generis *sint; unde simul patet, habito ad rem ipsam respectu, inconveniens esse, quod nomina multarum rerum, in quibus nulla sexus differentia est, ad genus masculinum vel femininum referantur. Sic* e. g. *nulla in re ipsa deprehendetur ratio, cur Mensa potius feminini quam masculini generis sit? Quis enim unquam sexus diversitatem in mensis, vel si mavis in utensilibus animadvertit? Hinc neutrius generis, si rem ipsam sequamur, deberet esse.* Nominum Genera unde?

DE-

DEFINITIO XIV.

Quid Pronomen? §. *61*. Vocabulum, quod in locum nominis ponitur, dicitur *Pronomen*.

COROLLARIUM.

Quid profit? §. *62*. Pronomina igitur impediunt tædiosam eorundem verborum repetitionem, & sæpe faciunt ad compendium (§. *61*.).

SCHOLION.

Unde Species ejus? §. 63. *Quia autem variis modis pronomen in locum nominis potest substitui, variæ oriuntur species pronominum*, personalia, demonstrativa, relativa, *cetera*. *Scilicet* e. g. *si Christus dicit:* Ego sum via, veritas & vita *; perinde est, ac si dixisset:* Jesus Nazarenus est via, veritas & vita. *Si dicis:* hic canis latrat *; perinde est, ac si canis nomine proprio, ad distinctionem indicandam, esset denotatus*.

DEFINITIO XV.

Quid verbum & ejus species? §. *64*. Vocabula, quibus mutationes rerum indicantur, dicuntur simpliciter *Verba*, eaque *activa*, si actiones, *passiva*, si passiones indicentur. *Verbum substantivum*

Quid verbum substantivum? dicitur, quod nexum Subjecti & Prædicati indicat.

COROLLARIUM.

Quid signum negationis efficiat? §. *65*. Hinc si nexus inter Subjectum & Prædicatum negandus est, verbo substantivo adjicitur *negationis signum*.

SCHOLION.

Unde tempora, numeri, personæ, modi in verbis? §. *66*. 1. *Quia actiones & passiones vel tempus præsens, vel præteritum, vel futurum, vel nullum respiciunt, oriuntur inde* tempora verborum. 2. *Sermo de uno vel pluribus constituit, uti in nominibus* (§. 58.), numerum singularem, pluralem, *& in quibusdam linguis etiam* dualem. 3. Personarum *origo est, quod vel de nobis;*

bis, vel ad alterum; vel de tertio loquamur. 4. *Prout autem vel assertive loquimur, vel minus, occasionem dedit* modis, indicativo & conjunctivo.

DEFINITIO XVI.

§. 67. Verbum, ad modum nominis formatum, dicitur *Participium*. Quid Participium?

SCHOLION.

§. 68. *Dicitur autem Participium, quia de utriusque natura aliquid participat,* e. g. *scribens.* Cur ita dicatur?

DEFINITIO XVII.

§. 69. Vocabula, ad certas circumstantias denotandas, adjectivis vel verbis addita, dicuntur *Adverbia*. Quid Adverbia?

SCHOLION.

§. 70. *Differunt igitur pro diversitate circumstantiarum loci, temporis, graduum,* e. g. cras veniam, valde benignus. Differentia eorum.

DEFINITIO XVIII.

§. 71. Vocabula ad circumstantias denotandas substantivis vel pronominibus addita, dicuntur *Præpositiones*. Vocabula, quibus partium orationis nexus indicatur, *Conjunctiones*; denique Soni, quibus affectus animi exprimere solemus, *Interjectiones* appellantur. Quid Præpositiones, Conjunctiones, Interjectiones?

COROLLARIUM.

§. 72. Quia res ipsæ, de quibus loquendum est, pro dictis diversitatibus differunt, modo definitæ vocabulorum species & variationes [§. 56 seqq.] in qualibet lingua sunt adhibendæ. Nam si minus, vocabula non sufficiunt ad rerum diversitates indicandas [§. 55.]. Cur tot sint vocabulorum species?

SCHOLION.

§. 73. *Quia in qualibet lingua Verba certa qua-* Quid Syntaxis?

quadam ratione construuntur, vel combinantur, oritur inde Syntaxis, *quæ non est, nisi modus Verba recte pro indole linguæ conjungendi.*

DEFINITIO XIX.

Quid Grammatica? §. 74. Ars, quæ rectam Linguæ formationem docet, dicitur *Grammatica.*

COROLLARIUM.

Quot sint? §. 75. Quot igitur dantur linguæ diversæ; tot Grammaticæ sunt possibiles.

COROLLARIUM II.

Quid tractet? §. 76. Quia Lingua formatur recte per debitam Nominum, Ponominum, Verborum, Participiorum variationem, & receptam combinationem vocabulorum, quod testatur experientia, in Grammatica de Nominibus, Pronominibus, Verbis, ceteris & Syntaxi est agendum (§. 74.).

SCHOLION.

Grammatica universalis unde? §. 77. *Quemadmodum specialia semper generalia in se complectuntur, siquidem species similitudo individuorum & specierum similitudo immediata genus infimum, mediata autem superius est; ita linguæ speciales* e. g. *Germanica, Gallica, Hebræa, ceteræ generalia præcepta de Lingua in genere continent, quæ ope artis abstrahendi inde possunt erui: maxime si ratio diversitatis vocabulorum & variationis illorum in rebus ipsis, uti antea fecimus* (§. 56 seqq.) *quæratur.*

DEFINITIO XX.

Quid sit? §. 78. Ars, quæ generalia de Lingua, in omnibus linguis obvia, tradit, dicitur *Grammatica universalis.*

COROLLARIUM.

Quænam ad eam pertineant? §. 79. Hinc quia quæ supra de vocabulorum speciebus & variationibus sunt proposita (§. 56 seqq.) in omnibus linguis debent occurrere (§. 72.), adeoque sunt generalia de lingua, perti-

nent

nent illa ad Grammaticam universalem (§. 78.).

SCHOLION I.

§. 80. *Longe plura ad Grammaticam universalem referenda esse, fatemur, sed illam integram pertractare, non est jam rei nostri, quod ad alia fertur, instituti.* Idem.

SCHOLION II.

§. 81. *Quia admodum diversæ, pro diversitate gentium, dantur Linguæ, cujus diversitatis rationes supra jam enarratæ sunt (§. 29.); hæc autem linguarum diversitas non tantum commercia gentium, sed eruditorum etiam, in diversis gentibus viventium, mirifice impedit: diu ab eruditis cogitatum fuit de Lingua quadam universali, de qua paucis adhuc in generali hacce tractatione est agendum.* Transitus.

DEFINITIO XXI.

§. 82. *Lingua universalis* dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes possunt intelligere. Pariter *Scriptura universalis* dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes possunt intelligere. Quid Lingua & Scriptura universalis?

SCHOLION.

§. 83. *Cum Lingua universalis adhuc sit in desideratis, olim loco ejus assumpta fuit Græca, hodie Latina. Nam cum, Deo providente, factum esset, ut ante Christum natum lingua Græca per Orientem occasione bellorum Alexandri M. & Successorum ejus in Græca Monarchia divisa, per Occidentem autem occasione litterarum ac Philosophiæ, quæ in Græcia potissimum docebatur, esset divulgata; unde Cicero in Orat. pro Archia:* Græca, *inquit*, ubivis sonant, Latina exiguis finibus continentur; *doctrina Evangelica autem de Messia in carnem misso omnibus gentibus esset annuncianda, & ut idem ore fieri posset, Deus Apostolis habitum variarum linguarum largitus es-* Loco Linguæ universalis olim fuit Græca, hodie Latina.

set

fet [§. 37.]: *ut idem effectus salutaris scriptis quoque obtineretur, Deus Græca lingua, ut pluribus tunc temporis gentibus nota, ad libros N.T. inspirandos utebatur. Nostra ætate lingua Latina, tanquam universali, in omnibus fere regionibus cultioribus utuntur eruditi, ut illius ope, licet linguæ vernaculæ diversæ sint, cogitationes suas cum peregrinis communicare queant.*

DEFINITIO XXII.

Signa scripta vel primitiva, vel derivativa.

§. 84. Dum præter vocabula aliis etiam *signis scriptis* cogitationes nostras exprimere solemus (§. 45), illa vel primitiva vel derivativa sunt. *Primitiva* vocantur, quæ ex aliis non componuntur; quæ autem ex primitivis componuntur, dicuntur Derivativa.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 85. *Exemplum habemus in Cyphris numerorum. Nam e. g. 6., 8. sunt signa primitiva, quorum prius sex, posterius octo unitates denotat. E contrario si scribam 68 est signum derivativum numeri sexaginta & octo, quia ex primitivis est compositum.*

DEFINITIO XXIII.

Item vel essentialia, vel accidentalia.

§. 86. Potest etiam adhuc alia *Signorum* differentia constitui. Vel enim talia sunt, ut ipsius rei imaginem ante oculos ponant, quæ vocari possunt *essentialia*; vel quæ id non faciunt, quæ *accidentalia* appellare libet.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 87. *Sic dum* † *signum additionis est, est accidentale, quia imaginem, vel essentiam additionis non exprimit. Sed alia multa in Mathesi dantur signa essentialia.* Sic ⊙, ☽ ✱ *propter repræsentationem imaginum sunt signa essentialia*

So-

Solis, Lunæ, Stellæ, ♈ ♉ ♋ *sunt signa essentialia signorum cœlestium Arietis, Tauri, Cancri, quia cornua priorum & pedes posterioris depingunt.*

COROLLARIUM.

§. 88. Signa essentialia, quia imaginem vel essentiam rei ante oculos ponunt (§ 86), & hinc facilius non solum memoria retinentur, sed etiam intelliguntur, præstant accidentalibus. Quænam sint præstantiora?

DEFINITIO XXIV.

§. 89. Ars, quæ signa rerum idonea invenit & explicat, dicitur *Ars characteristica.* Quid sit Ars characteristica?

SCHOLION.

§. 90. *Invenimus illius passim in eruditionis partibus exempla, quorum quædam, ad majorem rei, pluribus obscuræ, lucem affundendam, recensere placet. Logici vetustiores invenerunt signa propositionis universaliter affirmantis, negantis, particulariter affirmantis, negantis* A, E, I, O, *secundum versum vulgatissimum: Asserit* A, *cetera. Pariter in reductione Syllogismorum* S *conversionis simplicis,* P *conversionis per accidens instituendæ,* M *transpositionis propositionum,* E *reductionis per impossibile signum constituerunt. In Arithmetica huc pertinent Cyphræ, quibus numeri exprimuntur, item signum Additionis* †, *Subtractionis* —, *Multiplicationis* ., *Divisionis* :, *Majoritatis* >, *Minoritatis* <, *Æqualitatis* =, *Similitudinis* ∽. *In Geometria* ° ′ ″ ‴ *sunt signa, si de divisione Circuli loquaris, Graduum, Minutorum, primorum secundorum, tertiorum. Astronomia istiusmodi signis est fertilissima. Non solum Sol cum Planetis, Mercurio, Venere, Luna, Marte, Jove, Saturno, his signis* ☉, ☿, ♀, ☽, ♂, ♃, ♄, *sed etiam* XII. *Eclipticæ astra, quæ sunt:* Exempla.

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces,

his ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓, *prætereaque multa alia* u. g. *Nodus adſcendens, qui in Luna caput Draconis dicitur, hoc* ☊, *Nodus deſcendens, qui in Luna cauda Draconis dicitur, hoc ſigno* ☋, *certis characteribus denotantur. Quæ non mirabilia in hoc negotio Algebra præſtat, dum non ſolum omnes quantitates litteris, cognitas Alphabeti primis*, a, b, c, *incognitas ultimis*, x, y, z, *exprimit, ſed earum ope etiam calculum ducit? Annon* a *primam*, a^2 *ſecundam*, a^3 *tertiam*, a^4 *quartam dignitatem, vel potentiam, annon* √ *radicis quadratæ*, $\sqrt[3]{}$ *radicis cubicæ extractionem exprimit? Taceo plura alia huc pertinentia. Nec Chymicis ſua deſunt ſigna, quibus partim res naturales, partim operationum producta & præparata, ſeu res arte factas denotant. Sic* △ *Ignem*, 🜁 *Aerem*, ▽ *Aquam*, ▽ *Terram, exprimit. Et quæ in Aſtronomia Planetarum, eadem in Chymia Metallorum ſigna ſunt, ſcilicet* ☉ *Auri*, ☽ *Argenti*, ♀ *Cupri*, ♂ *Ferri*, ♃ *Stanni*, ♄, *Plumbi*, ☿ *Argenti vivi*. Vid. Cel. Teichmeieri Chemiam P. 1. c. 2. *Muſici notulis ſatis cognitis diverſitatem & prolongationem, vel abbreviationem ſonorum Saltatores recentiores certis ductibus motus pedum, in ſaltando producendos, ſolent exprimere. Abſtineo a pluribus.*

COROLLARIUM.

Monitum. §. 91. Ex allatis exemplis patet, Artem characteriſticam ſæpe ab illis fuiſſe exercitam, qui ne diſtinctam quidem illius notionem habuerunt.

DEFINITIO XXV.

Quid Ars characteriſtica combinatoria. §. 92. Artem ſigna rerum conjungendi, eorumque conjunctiones certa lege variandi, dicimus *Artem characteriſticam combinatoriam.*

SCHO-

SCHOLION.

§. 93. *Ars combinatoria characteristica summa bactenus frustra exercuit ingenia, & hinc adhuc in desideratis est, licet vestigia illius nonnulla exstent. Summus Leibnitius quandam illius ideam habuit, eamque ipsa Algebra universaliorem agnovit esse in litteris ad Oldenburgium & in Miscellaneis Berolinensibus, quæ loca exhibet ill. Wolff in* Psychol. Empir. § 297, *sed nunquam ad perfectionem, quod nimis multis intentus erat, deduxit.* Vid. ib. § 301. Quid de hac Leibnitius?

COROLLARIUM I.

§. 94. Quia per Artem combinatoriam characteristicam signa rerum conjunguntur (§ 92), per eandem etiam ex primitivis construuntur derivativa (§ 84). Et dum conjunctio signorum primitivorum nequit fieri, nisi hæc antea sint inventa, Ars characteristica combinatoria supponit ipsam Artem characteristicam (§ 89). Quid illa faciat & supponat?

SCHOLION.

§. 95. *In Arithmetica exemplum Artis combinatoriæ characteristicæ in numeratione cyphrarum deprehendimus. Adsunt enim signa numerorum primitiva* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0, *quæ certis legibus combinantur & variantur, quales sunt: ut cyphra in primo ad dextram loco denotet unitates, in secundo tot decades, quot in ultimo unitates, in tertio tot centenarios, in quarto tot millenarios, ceteræ. Hinc ut annum, quem a nativitate Servatoris jam numeramus, millesimum, septingentesimum, quadragesimum sextum exprimam, pro legibus modo dictis signa primitiva ita erunt combinanda* 1746. *Deprehendimus exempla alia in nominibus modorum in Logica Scholasticorum. Nam postquam* A *propositionis universaliter affirmantis,* E *universaliter negantis,* S *conversionis simplicis, signum constituerunt, & Consonans initialis nominum modorum in secunda & tertia figura indicare debet,* Exempla.

 syl-

syllogismum illius figuræ & modi reducendum esse ad modum primæ figuræ, ab eadem consonante incipientem: signa hæc primitiva combinarunt in voce CEſArE, *quæ conditionem totius Syllogismi exprimit; scilicet*, 1. *Majorem & Conclusionem universaliter negantes, Minorem universaliter affirmantem*, 2. *Syllogismum ad modum* CElArEnt *in prima figura reducendum*, 3. *Et Majorem simpliciter convertendam esse. Habemus exemplum aliud in figuris syllogismorum. Nam si per Artem characteristicam ponatur, ut* M *termini majoris*, m *minoris*, μ *medii signum sit, per Artem characteristicam combinatoriam quatuor figuræ ita poterunt exprimi:*

Fig. I.	Fig. II.	Fig. III.	Fig. IV.
μ M	M μ	μ M	M μ
m μ	m μ	μ m	μ m
m M	m M	m M	m M

THEOREMA VII.

Quid per illam formari possit?

§. 96. Per Artem characteristicam combinatoriam signa derivativa essentialia possunt formari.

DEMONSTRATIO.

Si signis primitivis certi significatus sunt tributi, ex illis signis derivativa componi possunt, quæ imaginem vel essentiam rei ante oculos ponant, siquidem quodlibet essentiale per peculiare signum primitivum potest indicari. Sed ejusmodi signum essentiale dicitur (§ 86). Unde ex combinatione signorum primitivorum derivativa essentialia possunt oriri. Quia vero illa combinatio fit per artem characteristicam combinatoriam (§ 92), per eandem signa derivativa essentialia rerum possunt formari.

SCHO-

SCHOLION.

§. 97. *Exemplum ejuſmodi ſignorum derivativorum eſſentialium habemus in nominibus modorum Syllogiſmorum, uti paullo ante eſt oſtenſum.* Exemplum.

THEOREMA VIII.

§. 98. **Ope Artis characteriſticæ combinatoriæ cogitationes noſtras cum aliis communicare poſſumus ſine verbis.** Quid illa præſtet?

DEMONSTRATIO.

Per Artem characteriſticam combinatoriam ſigna rerum certa lege conjunguntur & variantur (§ 92). Jam ſi alteri vel ſigna rerum, potiſſimum primitiva, jam ſint perſpecta, vel ſignificatum eorum facile poſſit hariolari, prætereaque regularum, quibus combinatio ſignorum perficitur, non ſit ignarus, dubium non eſſe poteſt, quin ex ſignis combinatis mentem ſcribentis ſine verbis poſſit cognoſcere.

SCHOLION.

§. 99. *Idem rurſus exemplis Mathematicis poteſt oſtendi. Cum enim in Cyphris Arithmeticis exemplum Artis combinatoriæ characteriſticæ habeamus (§ 95), evidenter patet, ope illarum nos alteri, qui ipſam Cyphrarum ſignificationem & modum eas combinandi habet perſpectum, numerum certum ſignificare poſſe abſque verbis. Poſſunt etiam alia in Aſtronomicis exempla formari. Sic Solem in primo Arietis gradu verſari, ita exprimunt* ☉, o ♈; *pariter conjunctionis ſextilis, quadrati, trigoni, oppoſitionis Planetarum ſigna ſunt* ☌ ✱ □ △ ☍; *unde quadratum Saturni & Jovis ita exprimitur* □ ♄ ♃. *Taceo Algebram, ubi plura ejuſmodi exempla occurrunt. Pertinent huc etiam formulæ Medicaminum præparandorum, a Medicis conſignari ſolitæ. Quin proceſſus chemici etiam per certorum* Exempla

characterum combinationem possunt exprimi, e. g. [illegible] *denotabit: Libra sulphuris distilletur in retorta diem & noctem.*

THEOREMA IX.

Ars combinatoria characteristica est species scripturæ universalis,

§. 100. Ars combinatoria characteristica constituit speciem scripturæ universalis.

DEMONSTRATIO.

Scriptura universalis dicitur, quam omnes omnium Linguarum gentes possunt intelligere (§ 82). At si quando in Arte combinatoria characteristica cogitationes certis signis, quæ vel jam sunt recepta, vel quorum significatus facile potest conjici, exprimimus, quilibet mentem signorum combinatorum intelligit, quacunque alias lingua utatur. Hinc Ars combinatoria characteristica speciem Scripturæ universalis exhibet.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 101. *Sic si scribam* ☼ 200. ♌, *quilibet Mathematum peritus, in sua Lingua potest legere. Et similis Cyphrarum ratio deprehenditur.*

COROLLARIUM.

& pertinet ad Linguam universalem.

§. 102. Quia Ars combinatoria characteristica ostendit speciem scripturæ universalis (§ 100.), eatenus etiam speciem Linguæ universalis nobis offert (§ 82).

SCHOLION.

Monitum.

§. 103. *Quia Ars characteristica combinatoria adhuc in desideratis est, licet vestigia illius quædam cernamus* (§ 93 seqq.), *mirum non est, Linguam & Scripturam universalem etiam nobis adhuc deficere. Et quia nostri instituti non est, illam fusius pertractare, maxime cum ill. Christ. Wolffius* in Psychol. Empir. § 297 seqq. *plura de illa asserta demonstraverit, ad tractationem nostram specialem potius* de Linguæ perfectione *progredimur.*

CA-

CAPUT II.

De Linguæ perfectione in Specie.

SCHOLION.

§. 104. *Dum de Linguæ perfectione acturi sumus, non id nobis negotii datum esse, arbitramur, ut quænam ex variis Linguis, quibus vel homines actu utuntur vel usi fuerunt, perfectissima sit, investigemus, sed Criteria potius Linguæ perfectæ eruere, &, quomodo illa comparata esse debeat, demonstrare, intendimus.* Ratio instituti.

DEFINITIO XXVI.

§. 105. Consensus variorum in ente dicitur *Perfectio*. *Consensum* autem h. l. dicimus tendentiam plurium ad commune aliquod præstandum. Perfectio quid sit?

COROLLARIUM I.

§. 106. Quo magis igitur varia in ente consentiunt, eo est perfectius, & in quo maxime consentiunt, id est perfectissimum (§ 105). Gradus Perfectionis.

COROLLARIUM II.

§. 107. Omne igitur medium ad finem eo erit perfectius, quo plenius finis, & quo facilius ille breviusque, & quo minori cum molestia obtinetur. Nam eo magis varia media in fine præstando consentiunt (§ 106). Perfectio Mediorum unde judicanda?

THEOREMA X.

§. 108. Finis Linguæ est, ut nos invicem intelligamus. Quisnam sit finis Linguæ?

DEMONSTRATIO.

Cum vocabula (§ 19), & hinc etiam sermo (§ 24), qui per linguam formatur (§ 25), cogitationum signum debeat esse, ex ser-

mone, per linguam formato, alter, scilicet audiens, vel legens, quas loquens, vel scribens sibi in mente cogitationes formet, debet cognoscere (§ 3), convenienterque finis linguæ est, ut audiens, vel legens easdem sibi cum loquente, vel scribente notiones formet. Quia vero in hoc ipso ponitur, ut loquentem audiens, vel scribentem legens intelligere dicatur (§ 21), finis Linguæ est, ut nos invicem intelligamus.

Idem ita concipitur. Finis est, quod per alterum volumus obtinere. Cum autem per Linguam id obtinere velimus, ut cum alio cogitationes nostras communicemus, adeoque nos invicem intelligamus, idem est Linguæ finis.

COROLLARIUM.

Et ad quid nam sit Medium? § 109. Quia Medium dicitur, quod rationem existentiæ finis in se continet, id autem finem respicit, Lingua ad hoc, ut nos invicem intelligamus, debet esse Medium (§ 108).

THEOREMA XI.

Facilitas intelligendi est Linguæ perfectæ requisitum. § 110. Quo facilius per Linguam nos invicem intelligere possumus, eo est perfectior.

DEMONSTRATIO.

Quo plenius per medium obtinetur finis, eo est perfectius (§ 107). Sed finis linguæ est, ut nos invicem intelligamus (§ 108), quemadmodum ipsa lingua est hujus medium (§ 109). Cum igitur quo facilius nos invicem per linguam intelligimus, eo plenius meliusque finis linguæ obtineatur, quò facilius nos invicem per linguam intelligimus, eo perfectior erit lingua.

COROLLARIUM.

Continuatio. § 111. Per linguam perfectissimam igitur facillime nos invicem debemus posse intelligere. (§ 110).

THEO-

THEOREMA XII.

§. 112. **In Lingua perfectissima quælibet res nomen suum peculiare debet habere.** Illa respuit plures unius nominis significatus.

DEMONSTRATIO.

Per linguam perfectissimam debemus facillime nos invicem posse intelligere (§ 111). At vero si res diversæ eodem nomine denotentur, impeditur facilis intelligentia, siquidem tunc, nomine audito, variæ ideæ in mente excitandæ sunt imaginationis ope (§ 23), & ex comparatione earum, cum contextu circumstantiisque demum, quænam genuina & a loquente intenta notio sit, investigandum est; id quod interdum ne quidem certo potest inveniri. Hinc in Lingua perfectissima non res diversæ eodem, & hinc quælibet res suo peculiari nomine denotanda est.

DEFINITIO XXVII.

§. 113. *Vocabulum æquivocum*, vel *homonymum*, dicitur, quod res diversas denotat. Vocabulum æquivocum quid?

SCHOLION.

§. 114. *Tale vocabulum in Latinorum Lingua est* jus, *legem & offam denotans*, *unde* Tycho de Brahe *per jocum cecinit*: Exemplum.

Jus legum & patinæ sunt nomine jura sub uno,
Grandia condunt & grandia jura vorant.

Quod autem ex æquivocis vocabulis sensus sæpe oriatur dubius, ex eo exemplo, dum Romulus lupa nutritus dicitur, potest cognosci, dum, utrum Lupa brutum, an vulgato corpore lupa, intelligenda sit, non satis est exploratum. Vid. Liv. libr. 1, c. 4. Plutarchus in Romulo c. 11. & Plinius Hist. Natur. libr. 8, c. 17. libr. 15, c. 18.

CO-

COROLLARIUM.

Lingua perfecta illa excludit.

§. 115. Ex Lingua perfectissima exulare debent vocabula æquivoca (§ 112, 113).

DEFINITIO XXVIII.

Commune ab uno ad unum quid?

§. 116. *Commune ab uno ad unum* dicitur vocabulum, quod uni primario, alteri secundario & propter respectum ad prius competit.

SCHOLION.

Exemplum.

§. 117. *Ejusmodi est vocabulum* sanus, *quod primario de animali, secundario etiam de cibo, vel medicamento, quatenus ad sanitatem animalis, eam conservando, vel restituendo, respectum habet, prædicatur.*

COROLLARIUM.

Talia a Lingua perfecta debent abesse.

§. 118. Quia per communia ab uno ad unum res diversæ denotantur (§ 116), a lingua perfectissima abesse debent. (§ 112).

SCHOLION I.

Quo sensu Lingua verbis dives esse debeat?

§. 119. *Ex dictis datur colligere, quomodo intelligendum sit, cum vulgo pro criterio Linguæ perfectæ, ut* verbis dives sit, *habetur; quemadmodum Cicero lib. 1, de finitus Bonorum & Malorum ad Brutum scribit*: Latinam Linguam non modo non inopem, sed etiam locupletiorem esse, quam Græcam. *Scilicet hoc ita intelligendum est, ut nulli rei peculiare nomen deficiat (§ 112); adeoque ab æquivocis & communibus ab uno ad unum possit abstineri (§ 115, 118).*

SCHOLION II.

Exempla Linguarum imperfectarum.

§. 120. *Patet autem simul imperfectio Linguæ Germanicæ, Latinæ, Græcæ, dum in omnibus his multa dantur æquivoca, qualia sunt* Krebs, Cancer, *morbum & brutum*, populus *multitudinem hominum & arborem*, Lupus *piscem, plantam & animal quadrupes*, λογος *rationem & sermonem* de-

denotans. Nec ipsa Lingua Hebræa ab hac imperfectione immunis est, dum verba simplicia habent etiam significatum compositorum, & particulæ in admodum variis significatibus solent adhiberi. Non equidem ignoro, Virum Clar. M. Georg. Nath. Kistmacher in Dissert. de Ebraicæ præ ceteris linguis omnibus præstantia, *Jenæ* 1719 *defensa, in eo esse, ut illam reliquis linguis omnibus palmam præripere ostendat. At quamvis lubenter perfectiones, quæ Hebraicæ insunt linguæ, agnoscamus, & in sequentibus ostensuri simus: non tamen ejus argumenta ad omnimodam linguæ Ebraicæ præ reliquis omnibus præcellentiam probandam sufficere videntur. Provocat is,* 1) *ad Linguæ Hebraicæ Antiquitatem præ omnibus reliquis, quam præter argumenta minus valida, ab aliis mutuata, inde, quod primi homines in Paradiso loquuti sint, probare nititur. At vero nec semper verum est, quod quidquid antiquissimum est, optimum sit, nec necessario Lingua antiquissima debet esse optima, nec ex eo, quod in horto parentes primi loquuti sint, sequitur, eos Hebraicæ loquutos esse, unde & major & minor argumenti dubiis majores non sunt. Provocat is* 2) *ad Elogia hujus linguæ*, dum Rom. 1, 2. *ἁγια γραφη* & 2 Tim. III, 15. *τα ἱερα γραμματα appelletur. Verum nec desunt, quæ huic apponantur. Non enim ipsa Hebræa lingua in se, sed sacra Veteris Testamenti scriptura, Hebræo idiomate consignata, his magnificis titulis ornatur. Nec sequitur, si ita concludas: Lingua Hebræa dicitur sancta ob consignatam in illa voluntatem Dei. E. est omnibus reliquis præstantior. Nam ex eodem fonte etiam Græcæ linguæ præ omnibus reliquis præstantia posset derivari. Provocat is* 3) *ad puritatem, venustatem & facilitatem discendi, dum, quod ad ultimum attinet, non admodum multæ radices omnium reliquarum vocum fontes sint. At quanquam quidquid ex his perfectionis inest Linguæ Hebraicæ,*

An Lingua Hebræa sit perfectissima?

neutti-

neutiquam ei denegatum volumus; non tamen inde sequitur, eam omnibus numeris absolutam, & omni respectu omnibus reliquis linguis præstantiorem esse.

THEOREMA XIII.

In Lingua perfecta licet ὀνοματοποιεῖν.

§. 121. **In Lingua perfectissima, necessitate postulante, nova nomina licet formare & peregrina adoptare.**

DEMONSTRATIO.

1. Si res nova inveniatur, vel nova rei consideratio instituatur, illa aut novo nomine denotanda, aut nomen, quod certum jam habet significatum, etiam ad novam illam rem significandam, transferendum, aut illa res sine nomine relinquenda est. At vero nomen, quod certum jam habet significatum, illi rei non est imponendum, quia inde orietur Æquivocatio evitanda (§ 115); nec sine nomine est relinquenda, quia alias non possumus eam rem aliis denotare. E. novum nomen erit in hoc casu formandum.

2. Si peregrina res, quæ in alia lingua nomine adhuc caret, reddatur cognita, aut peregrinum nomen rei adoptandum, aut novum nomen formandum erit. Cum autem in peregrina lingua jam habeat nomen, non opus est formatione novi, adeoque illud adoptare, vel civitate donare licet.

SHOLION.

Consensus Horatii.

§. 122. *Eandem, ubi opus est, novorum formandorum vocabulorum licentiam jam olim Horatius Latinis concessit libro de Arte Poet.* v. 50 seqq. *ubi inter* cetera:

—— —— Licuit semperque licebit,
Signatum, præsente nota, producere nomen.

CO-

COROLLARIUM.

§. 123. Non igitur est, cur Philosophis a Criticis vitio vertatur, si novos subinde terminos philosophicos, ad abstractiones, de quibus Latini vetustiores non cogitarunt, & hinc nec terminis denotarunt, significandas, formant, quales sunt: Identitas, Prioritas, Distinctitas, ceteri [§ 121]. Quamvis enim eadem res sine ejusmodi termino sæpe purius possit exprimi; negari tamen nequit, eorum ope breviorem sæpe & magis perspicuam elocutionem fieri. Vid. Jo: Pici Mirandulæ epistolam continentem, quid de Stylo Scholasticorum sit sentiendum? quæ præfixa est Armandi de bello visu Explicationibus terminorum Theologicorum, Philosophicorum & Logicorum. Witteb. 1623.

Quid de novis terminis philosophicis sit statuendum?

SCHOLION.

§. 124. *Peto autem, ne quis hoc ita intelligat, ac si barbarum loquendi morem probatum irem. Laudo enim potius & approbo puritatem Styli, ubi, salvo rerum sensu genuino potest adhiberi.*

Monitum.

THEOREMA XIV.

§. 125. Uni rei unum tantum nomen vel vocabulum respondere debet in Lingua perfectissima.

Perfectio linguæ excludit plura unius rei nomina.

DEMONSTRATIO.

Multitudo nominum, uni rei in eadem lingua competentium, efficit, quo minus facile intelligant se invicem loquentes. Nam facile potest contingere, ut unus hoc, alter alio, tertius iterum alio nomine eandem rem denotet; unde fiet, ut se invicem non intelligant, quia, nomine audito, debita idea in mente non producitur (§ 21). Hinc in Lingua perfectissima non debet res eadem diversis vocabulis denotari [§. 111]; adeoque uni rei unum tantum vocabulum respondere debet.

DE-

DEFINITIO XXIX.

Synonyma quid?

§. 126. Vocabula diversa, in eadem lingua rem eandem denotantia, dicuntur *Synonyma*. Et si plane eadem notio utrique vocabulo respondeat, dici possunt *perfecte Synonyma*; si ex parte tantum, *respective* talia.

COROLLARIUM.

Eadem excludit Synonyma perfecte talia;

§. 127. Hinc Synonyma perfecte talia ex lingua perfectissima debent abesse [§ 125, 126.]

SCHOLION I.

Sed non respective talia.

§. 128. *Dico studiose:* Synonyma perfecte talia. *Nam si in vocabulis, quæ Synonyma videntur esse, diversitas tamen respectus, vel gradus, vel alius circumstantiæ connotatur, adeoque non sunt perfecte talia, tantum abest, ut perfectioni linguæ obstent, ut potius adesse debeant* (§ 112) *Sic Gratia & Misericordia licet synonyma videantur esse, diversus tamen in utroque vocabulo respectus adest, dum in Gratia ad id, quod gratis & sine merito bonum, in Misericordia autem ad id, quod misero conferatur, respicitur; adeoque non sunt Synonyma perfecte talia.*

SCHOLION II.

Monitum.

§. 129. *Cum una res uno nomine tantum sit denotanda* (§ 125), *sæpe ex crebra ejusdem vocabuli repetitione tædium aliquod oriri, negandum non est, quod autem per perspicuitatem majorem compensatur.*

DEFINITIO XXX.

Quid Dialectus?

§. 130. Diversitas pronunciationis & constructionis verborum in certa lingua constituit *Dialectum*.

SCHOLION.

Exempla.

§. 131. *Sic in Lingua Græca* IV *Dialecti, Attica, Jonica, Dorica, Æolica, satis sunt pervulgatæ, & neminem diversitas Dialecti Linguæ Ger-*

Germanicæ, quæ in Saxonia superiore & inferiore obtinet, fugit.

THEOREMA XV.

§. 132. **A Lingua perfectissima diversitas Dialectorum debet abesse.**

Perfectio Linguæ excludit diversitatem Dialecti.

DEMONSTRATIO.

Diversitas Dialectorum in eadem lingua impedit facilem intelligentiam. Nam licet audiens sonum audiat verborum, non tamen in mente, quia vel sonus, vel modus verba ita construendi non satis est cognitus, & ipse aliter eum efferre, vel verba construere solet, ideam producet convenientem [§ 21]. Cum vero per *Linguam perfectissimam* facillime nos invicem debeamus posse intelligere [§ 111]; diversitas dialectorum ab ea abesse debet.

DEFINITIO XXXI.

§. 133. *Nomen rei essentiale* dicitur, quod in se essentiam rei exprimit, quod non, *accidentale*. Quid essentia rei sit supponitur ex Metaphysica.

Quid nomen rei essentiale & accidentale?

SCHOLION I.

§. 134. *Sic nomen* Jehova, *quod ipse sibi soli Deus vindicavit* Ps. LXXXII, 19; Jes. XXXXII, 8; *est nomen Dei essentiale, quia vi derivationis Grammaticæ denotat eum*, qui fuit, est, & erit cum emphasi, h. e. *per existentiam absolute necessariam*; *quo ipse essentiale Dei, quod sit ens a se, indicatur*. Vid. nostrum Tr. S. t. Revelat. S. S. Trinit. Mysterium § 37, Sch. 1. *Par ratio est nominis* Jesus, *quod, quia per Angeli interpretationem* Matth. 1, 21, *& derivationem Grammaticam* a r. ישע *salvavit, Salvatorem denotat, Servatori meritissimo essentiale* est. *Vox latina* Tonitru *& Germanica* Donner *sunt nomina essentialia, quia ipsum nomen sonum rei denotatæ offert*. *E contrario* Mensa *est nomen non essentiale, sed accidentale*.

Exempla.

SCHO-

SCHOLION II.

Casus alius.

§. 135. *Possunt etiam nomina rerum essentialia ex compositione signorum primitivorum, quibus arbitrarie certus significatus est impositus, constitui. Qualia habent Logici in nominibus modorum syllogisticorum, ubi, assumpto quod* A *propositionem universaliter affirmantem denotare debeat, vox* bArbArA *essentiam Syllogismi exponit, scilicet, quod tres habeat propositiones, & omnes sint universales eaque affirmantes. In nominibus modorum secundæ & tertiæ figuræ idem clarius elucet, uti supra exemplo jam est ostensum* [§ 94].

THEOREMA XVI.

Perfectio linguæ postulat nomina rerum essentialia.

§. 136. Lingua perfectissima plurimis instructa esse debet nominibus essentialibus.

DEMONSTRATIO.

Nomina rerum essentialia, quia in se essentiam rei ante oculos ponunt (§ 133), non solum facillime memoria retinentur, sed etiam, quod maximum, facilitatem intelligendi mirum in modum promovent [§. 21]. Hinc dum per linguam perfectissimam facillime debemus nos invicem posse intelligere [§ 111], in eadem nominibus rerum essentialibus admodum est studendum.

COROLLARIUM.

Rejectis accidentalibus.

§. 137. A nominibus igitur accidentalibus in ea, quantum fieri potest, abstinendum est [§ 136, 133].

SCHOLION I.

Consensus Borrichii.

§. 138. *Idem præclare perspexit, quem laudavimus supra, Ol. Borrichius in Diatribe de Causis diversit. Linguarum* § 3. Ex, *inquiens*, voces nobiliores censendæ, quæ non casu velut improviso res notant, sed adhibita, quantum fieri potest, ratione naturam rerum intuentur. Quemadmodum enim imago illa laudatissima, quæ rem melius reddit: ita voces ex [quippe

ima-

imagines rerum] convenientissimæ, quæ ad ipsam naturam rerum exprimendam propius accedunt. *Ir*. § 8, p. 19.

SCHOLION II.

Præstantia Linguæ Hebrææ.

§. 139. *Ex hoc capite reliquis linguis Hebræa, utpote nominibus essentialibus, vel ad essentialia proxime accedentibus fertilissima, palmam præripere videtur. Nominum Jehova & Jesus jam ante facta est mentio* [§ 134]. Adam *denotat ex terra factum, qualis Homo erat*, Gen. II, 7; Eva *vivificatricem, qualem per sobolis procreationem se gerebat*, Gen. III, 20; Abrahamus *multarum gentium patrem*, Gen. XVII, 5, *qualis futurus erat*; Jacob *Suppressorem, qualem sese exhibebat*, Gen. XXVII, 36; עלמה a r. עלם *occultavit, virginem, utpote quæ membrum genitale gessit adhuc occultatum. Taceo innumera alia exempla. In aliis linguis rariora quidem sunt ejusmodi exempla; attamen ibi potissimum, ubi certi soni denotandi sunt, occurrentia, siquidem sonus verbi ipsius rei sonum referre solet. Qualia verba sunt*: Balare, Boare, Cicada, Clangere, Coaxare, Flere, Grunnire, Hinnire, murmurare, Sibillare, Lallare, Ululare, *cetera*, & in Lingua Germanica, Guckuck, Gluckhenne, Donner, *cetera*.

SCHOLION III.

Convenientia Linguarum in nominibus essentialibus.

§. 140. *Solet etiam interdum accidere, ut ab eodem de re ipsa formato sono, sed a diversis gentibus diversimode accepto & pronunciato, res eadem nomina, pro diversitate linguarum differentia, attamen sono similia acceperit. Sic Germanorum* Gukcuk *est Gallorum* Cocu, *Latinorum* Cuculus, *Græcorum* Κοκκυξ, *Italorum* Cucco, *quæ nomina omnia a sono* Cuculi *ortum acceperunt. Pariter Germanorum* Heulen, *Latinorum* Ejulare, *Græcorum* Ὀλολύζειν, *ab ejusdem* Ejulatus *sono oriri, non difficulter cognoscitur.*

SCHOLION IV.

Lingua essentialis est possibilis.

§. 141. *Cum res nominibus essentialibus possint exprimi, uti partim ipsa Lingua Hebræa in multis, partim alia exempla docent* [§ 139], *non videtur esse impossibile, quod Ol. Borrichius Tr. cit.* § 18, *p.* 45 *seqq. defendit, ut* detur Lingua receptis perfectior, & ex intima cognitione consensuum dissensuumque rerum naturalium deducta. *Utrum vero per illam, accommodato rebus rhythmo, Harmonia, Elocutione, non homines tantum, sed & bestiæ flecti possint in obsequium, terreri, sisti, allici, in stuporem dari, certis motibus bilis acidique corporis agitatis sanari, cetera, res altioris indaginis videtur esse.*

SCHOLION V.

An Adamus illam possederit?

§. 142. *Nec, cum Auctore laudato, defendendum suscipimus,* Adamo, præter linguam ad posteros derivatam, illam cognitam fuisse ita, ut illius beneficio regie imperaverit animalibus, & omnia bruta, solo sono illorum naturæ conveniente edito, & nulla assuefactione præcedente, ad obsequium flectere potuerit. *Quamvis enim plane singulare quid in tarantulis deprehendamus, ut sono* Musico, *natura tarantulæ, quæ hominem veneno suo infecit, convenienti, ab illo homine audito, hic saltare & sanari incipiat: non tamen certo inde, Adamum imperium in bruta solis verborum sonis exercuisse, concludi potest. Nam cum Noacho filiisque ejus Deus dominium in bruta eadem, quin majori cum solennitate tradiderit ac Adamo,* Gen. VIII, 2, 3; 1, 28, *idem de Noacho & filiis ejus esset etiam affirmandum; quod nemo facile crediderit, siquidem qua ratione Noachus & filii imperium in bruta exercuerunt, eadem sine dubio ad posteros est propagatum. Posteros autem hac facultate carere, experientia testatur. Nostra enim verba non, nisi mediante assuefactione, bruta in obsequium flectunt.*

SCHO-

SCHOLION VI.

§. 143. *Dum de nominibus rerum essentialibus egimus, nec illud reticendum est, nonnullis eruditis, secretam vim naturalem litteris quibusdam inesse, videri.* P *Socrati in Cratylo Platonis* φαινεται ὥσπερ ὀργανον ἑιναι πασης της κινησεως, *quod ostendit per vocabula* ῥειν, ῥοη, τρομος, τραχυς, κρουειν, θραυειν, ἐρυκειν, θρυπτειν, κερματιζειν, ῥεμβειν, I *adhibetur ad tenuia quæque*, φ, ψ, σ, ζ, *sunt spiritus vehementioris*, λ & τ *compressionem denotant. Et sane cum omnis ira vehementiorem corporis animique commotionem involvat, mirum non est,* R *esse iræ signum; unde Virgil.* L. 4. *Æneid. de fama optime* ita:

Illam terra parens ira irritata Deorum
Progenuit;

ubi omnes, præter primam, voces hanc iræ consonantem continent. Pertinet huc quoque meditatio Nigidii apud Gellium L. X, c. 4 *dum in voce* VOS *&* TIBI *nos spiritum quasi protrudere, & versum ad eos, quibuscum sermocinamur, intendere; in vocibus* NOS *&* MIHI *autem spiritum & labia quasi intra nosmet ipsos coercere, docet. Possem etiam hoc loco de eo, quod per ipsam vocum compositionem rei quasi imago repræsentari possit, loqui, uti e. g. Maro velocissimum equi cursum meris dactylis descripsit ita:*

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

nisi hoc magis ad pulchritudinem orationis naturalem, de qua elegantissime scripsit Jo: Guilielmus Berger in tractatu de Pulchritudine Orat. naturali, pertineret.

Vis Litterarum quarundam secreta.

THEOREMA XXVII.

§. 144. Res similes similia nomina in lingua perfectissima debent habere.

Perfectio Linguæ postulat rerum similium nomina similia.

DEMONSTRATIO.

Quidquid facit ad facilem intelligentiam, ei

in lingua perfectiſſima eſt ſtudendum (§ 111). Jam vero ſi res ſimiles ſimilibus nominibus exprimantur, non ſolum ipſa rerum nomina facilius memoria retinentur, ſed etiam, cognito nomine uno, & genio linguæ, facilius ſignificatus alterius eruitur; uti e. g. ſi quis novit, quid ſit *mutatum*, vel *determinatum*, facile inde colligit, quid ſit *mutabile*, vel *determinabile*. Hinc in Lingua perfectiſſima res ſimiles ſimilia debent habere nomina.

DEFINITIO XXXII.

Abſtractum & Concretum quid?

§. 145. *Abſtractum* dicitur, quod denotat qualitatem rei ſine ſubjecto, cui ineſt. *Concretum* qualitatem rei cum ſubjecto; cui ineſt, denotat.

SCHOLION.

Exempla.

§. 146. *Sic* e. g. Pietas, Eruditio, *termini abſtracti*, Pius, Eruditus, *concreti ſunt*.

COROLLARIUM I.

Habent ſimilitudinem.

§. 147. Quatenus igitur tam Abſtractum quam Concretum certam rei qualitatem denotant [§ 145], eatenus habent ſimilitudinem.

COROLLARIUM II.

terminis fere ſimilibus debent denotari.

§. 148. Abſtractum igitur & Concretum terminis fere ſimilibus, licet pro genio linguæ eatenus, quatenus Abſtractum & Concretum ſunt, differentibus [§ 112], debent denotari [§ 144, 147].

DEFINITIO XXXIII.

Vocabulum primitivum, derivativum, &c. quid?

§. 149. *Vocabulum*, quod ab alio oritur, *derivativum* appellatur; quod a nullo alio, *primitivum*, & quatenus derivativa ab eodem oriuntur, *radix*; Relatio radicis ad ſua derivata *cognatio vocabulorum* appellatur.

SCHO-

SCHOLION.

§. 150. *Sic in lingua Latina* Amo *est vocabulum primitivum, & respectu vocum* Amicus, Amicitia, *radix.* Exempla.

THEOREMA XVIII.

§. 151. Per cognationem vocum facilitas intelligendi linguam promovetur. Cognatio vocum facit ad facilem intelligentiam.

DEMONSTRATIO.

Quæcunque voces sunt similes, earum una occasione alterius facile propter imaginationis regulam potest memoria retineri. Cum igitur vocabulorum, quæ cognationem inter se habent, sit similitudo soni, quandoquidem una ab altera descendit (§ 149), unum illorum, nempe derivativum, occasione alterius scil. radicis facile memoria retineri potest. At vero si vocabula facile memoria retinentur, promovetur facilitas intelligendi, quia, si semel idea de re cum vocabulo in mente conjuncta est, eodem vocabulo audito iterum, facile idea rei debita reproducitur (§ 23). Hinc per vocum cognationem facilitas intelligendi linguam promovetur.

Idem inde etiam apparet, quod, dum voces cognatæ res quoque cognatas solent denotare, idque ratione non invita (§ 144), sæpe cognito vocabolo uno & analogia linguæ, significatus alterius vocabuli inde queat colligi. Inventa autem notione, cum voce conjungenda, dicimur intelligere (§ 21).

SCHOLION I.

§. 152. *Non equidem ignoro, in significatione vocabulorum genuina eruenda, ad usum potius,* Quando in vocabulorum significatu inveniendo ad derivationem respiciendum sit?

quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi,

teste Horatio de Arte Poet. u. 72., quam ad derivationem esse attendendum, quia non raro solet accidere, ut a derivatione diversus significatus obti-

obtineat per loquendi usum. Attamen & hoc mihi concedendum esse arbitror, in vocabulis tam raro occurrentibus, ut ex usu loquendi vera significatio nequeat cognosci, ad derivationem & significatum radicis æque ac aliarum vocum cognatarum confugiendum esse. Nihil enim tunc aliud, ex quo significatus eruatur, restat. Exemplo potest esse vox Επιουσιος, *qua Christus panem, a Deo in oratione Dominica exorandum, denominavit*, Matth. VI, 11; Luc. XI, 3. *Hæc enim dum nec alibi in S. Codice, nec in scriptoribus profanis occurrit, non potest ejus significatus ex usu loquendi derivari. Nihil igitur S. Scripturæ interpretibus restat, nisi ut ex etymologia vocis eruant significationem, quæ quo magis reliquis circumstantiis erit conveniens, eo majori se probabilitate commendabit. Dum igitur hæc vox* Επιουσιος *ab* Επι *super & particip. femin.* ουσα, *quod est ab* Ειμι *sum, vel* Ειμι, *vado, succedo, ad formam vocis* Εκουσιος, *spontaneus, commode derivari potest, & panis naturalis donis spiritualibus, primario a Deo exorandis, superpondii loco nobis advenire debet vi promissionis Christi* Matth. V, 33, *non male* Αρτος επιουσιος *verti poterit panis superventitius, vel accessorius*,

SCHOLION II.

Quid juvet vocabulorum cognatio?

§. 153. *Huc etiam referri debet, quod, dum multarum vocum in Lingua Gallorum & Italorum origo a lingua Latina vocibus pendet, facile lingua Gallica & Italica discantur ab eo, qui Latinæ gnarus est: Par est Linguæ Batavorum & Germanorum ratio.*

COROLLARIUM I.

Perfectio linguæ postulat crebras vocabulorum cognationes,

§. 154. Quia, quidquid facilitatem intelligendi promovet, ei in lingua perfectissima studendum est (§ 111), crebriores etiam vocabulorum cognationes in ea debent obtinere (§ 151).

CO-

COROLLARIUM II.

§. 155. Hinc in lingua perfectiſſima a paucioribus radicibus plura derivativa vocabula debent deſcendere. (§. 154, 149) ; ex quo capite Hebrææ linguæ præ aliis laus ſua non deneganda eſt. Maxime autem ubi cognatio rerum eſt, cognatio etiam vocum debet eſſe (§ 144). & derivationes.

THEOREMA XIX.

§. 156. Inter ſingula verba in lingua perfectiſſima, ſi ſcribendo adhibeatur; ſpatium eſt relinquendum. Perfectio linguæ poſtulat diſtinctionem vocabulorum.

DEMONSTRATIO.

Quidquid facilitatem intelligendi promovet, ei in lingua perfectiſſima eſt ſtudendum (§. 111). Sed facilitas intelligendi adprime promovetur, ſi inter ſingula verba ſpatium relinquatur; quia alias & non ſine tædio verba a ſe invicem diſtinguuntur, & interdum poteſt fieri, ut duo verba habeantur pro uno, adeoque plane diſpar & a mente ſcribentis alienus ſenſus prodeat. Hinc in lingua perfectiſſima ita ſcribendum eſt, ut inter ſingula vocabula ſpatium relinquatur.

SCHOLION.

§. 157. *Quantum interſit perſpicuitatis cauſa, ut inter ſingula verba ſpatium relinquatur, ex nonnullis verſionis* LXX *Interpretum locis poteſt cognoſci. Nam cum olim Judæi Codicem* V. T. *in una ſerie ſcripſerint, non relicto inter vocem & vocem ſpatiolo, ſiquidem ipſe Buxtorffius ſe ejuſmodi Codicem vetuſtum poſſidere, teſtatus eſt, & Judæorum doctores olim lege ſanciverunt, ut, ſi quis Codicem deſcribere vellet, ſpatium inter vocem & vocem relinqueret: factum eſt, ut* LXX *Interpretes interdum duo verba textus Hebræi pro uno habuerint, & hinc genuinum non fuerint aſſequuti ſenſum. Tale exemplum deprehendimus me-* Exempla notabilia.

memorabile 2 Reg. II, 14, *ubi in verbis Elisæ* איה יהוה אלהי אליהו אף הוא i. e. Ubi Jehova Deus Eliæ, etiam ille (*vel idem, qui Eliæ adstitit*)? ex אף הוא *fecerunt nomen Dei proprium, vertentes*: Ποῦ ὁ Θεὸς Ἠλιοῦ, ἀφφω; *Similem lapsum commiserunt, ne de multis aliis locis dicam*, Gen. XXVIII, 19, *ubi ex verbis* ואולם לוז & olim Luz erat nomen urbis a principio *pariter unum nomen proprium* καὶ οὐλαμλούζ *fecerunt. Sed eadem indistincta scriptio effecit etiam, ut interdum conjungenda dividerent*. Sic Psalm. LXXV 2, pro וקרוב שמך nam prope est nomen tuum, ב *adsequens vocabulum referendo legerunt* וקרו בשמך *vertentes*: Καὶ ἐπικαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου; *Miram etiam divisionem* Zeph. 3 19 *in voce* כל *susceperunt*, כ *ad præcedens*, ל *ad* sequens referendo, dum pro אתכל מעניך i. e. omnes, qui te affligunt, *legerunt* אתך למעניך *vertentes*: Ἐν σοὶ ἕνεκεν σου. Plura jam addere, non est opus.

DEFINITIO XXXIV.

Signa distinctionum quid?

§. 158. Signa, per quæ certa quædam sensus qualitas indicatur legenti, dicuntur *distinctionum signa*.

SCHOLION I.

Exempla.

§. 159. *Talia signa apud nos sunt* 1) Punctum., *per quod sensum plenum & absolutum*, 2) Colon:, *per quod eum dimidium, adeoque minus plenum*, 3) Semicolon;, *per quod eum dimidio minus plenum*, 4) Comma, *per quod phrasin unam ab altera in eadem periodo, vel periodi parte distinguendam esse*, 5) Signum interrogandi ?, *per quod quæstionem*, 6) Signum exclamandi !, *per quod affectum, exclamatione exprimendum, adesse, indicatur*.

THEOREMA XX.

§. 160. Signis distinctionum opus est in lingua perfectissima. Perfectio linguæ postulat signa distinctionum,

DEMONSTRATIO.

Quidquid facilitatem intelligendi promovet, ei in lingua perfectissima est studendum (§ 111). Sed signa distinctionum facilitatem intelligendi mirum quantum promovent. Nam per eadem ex ipso signo addito cognoscitur sensus qualitas, utrum ille exclamatorius, an interrogativus, an assertivus sit; & si assertivus, utrum plenus, an minus plenus, utrum vox certa ad phrasin antecedentem, an ad sequentem, referenda sit (§ 158, 159)? Unde facile, quam scribens sibi mente formaverit notionem, cognosci, adeoque ipse facilius intelligi potest (§ 21). Hinc signis distinctionum opus est in lingua perfectissima.

COROLLARIUM.

§. 161. Et dum distinctiones, vel majores sunt, vel minores, prouti sensus vel magis, vel minus plenus est (§ 159); pro hac diversitate distinctionum diversis etiam signis est opus (§ 160). eaque diversa;

SCHOLION I.

§. 162. *Quamvis autem signa distinctionum sint adhibenda, eaque diversa pro diversitate conditionis sensus (§ 160, 161); non tamen opus est, ut necessario illa signa, quæ in nostris linguis recepta sunt & adhiberi solent, adhibeantur. Quemadmodum enim litterarum signa sunt arbitraria (§ 46, 13); sic idem de distinctionum signis est pronunciandum. Quod facile inde etiam colligitur, quod in diversis linguis idem ratione rei signum diversimode exprimatur. Sic Germani, Galli, Itali, signum interrogationis ita ?, Græci ita ; solent pingere. Apud nos. apud Syros* * *signum sensus pleni est. Et cum nobis deficiat signum,* licet non necessario nostra.

gnum, per quod una materia ab altera discernatur, Syri eodem, quod ita * :· *pingere solent, sunt instructi; uti ex perlectione N. T. Syriaci est perspicuum.*

SCHOLION II.

Exempla. §. 163. *Quantum ad perspicuitatem ejusmodi faciant signa, ex nonnullis Codicis* S. V. T. *locis apparet, quæ propter defectum signi interrogandi, seorsim ponendi, quale in Hebræa lingua deficit, sine difficultate non deprehenduntur; licet sensu assertivo in interrogativum mutato, omnis difficultas cesset. Ejusmodi exemplum habemus* Jes. IX, 2, *ubi, si verba*: לא הגדלת השמחה *assertive accipias, hic prodit sensus*: Multiplicasti populum (*fidelium*) & non magnum fecisti gaudium; gaudebunt coram facie tua &c. *Qui cum non satis coherere videatur sensus, alii ad* לו"ק *confugiunt, ut sensus sit*: & ipsi magnum fecisti gaudium. *Sed omnis difficultas cessat, si verba dicta accipiantur per interrogationis modum*: Multiplicasti gentem fidelium, & nonne (*ita*) magnum fecisti gaudium? Gaudebunt coram facie tua, *cetera. Similem locum deprehendimus* Ex. VI, 3. *Nam cum Abrahamus jam usus fuerit nomine Dei proprio* Jehova, Gen. XXII, 14; *quin etiam ipsa Eva*, Gen. IV, 1, *non adparet, qui Deus Mosi dicere potuerit*: ושמי יהוה לא נודעתי להם & nomen meum Jehova non patefeci illis; *quæ difficultas cessat, si interrogative*: & nonne nomen meum Jehova etiam illis patefeci? *vertatur*.

SCHOLION III.

Exempla alia aliorum casuum. §. 164. *Nec ignota res est, ut pro diversitate signi distinctionis plane diversus oriatur sensus. Tale exemplum reperimus*, Rom. IX, 5, *ubi si post verba* κατα σαρκα *ponatur comma, sequentia se referunt ad Christum, adeoque excellentissimum divinitatis Christi testimonium in hoc effato Paulino deprehendimus. Quod si vero ibi punctum ponatur, verborum sequentium is tantum sen-*

sensus est, quod ille, qui Deus est super omnia, benedictus in secula est: debeat, nec quidquam de divinitate Christi ibi reperitur. Sed priorem lectionem luculenter satis defendi in Mysterio SS. Trinitatis revelat. §. 37, n. 4. *Nec est silentio involuendum, pro diversitate loci, qui distinctionis signo datur, diversum sæpe oriri sensum. Memorabile ejusmodi exemplum deprehendimus* Gen. XLIX, 10. *Hic si* ^ *ponatur, uti Judæi volunt, ad vocem* עד, *hic prodit sensus:* Non recedet Sceptrum a Juda, & Legislator ex semine ejus natus in æternum, quando veniet Schiloh; *adeoque Messiam jam venisse ex hoc loco probari nequit; quod potest inde probari, si* ^ *ut in codicibus nostris est, ad vocem* רגליו *sit positus. Tunc enim hic sensus est:* Non recedet Sceptrum a Juda & Legislator ex semine ejus natus, donec veniat Schiloh.

SCHOLION IV.

§. 165. *Potest etiam ex superioribus colligi, an in distinctionum signis exprimendis antiquitas necessario sit imitanda? Nempe cum perspicuitas scribendi præferenda sit mori antiquitatis, siquidem longe majorem usum præstat, scribere perspicue, quam cum aliis, religioni non ducendum esse arbitramur, si cum ratione a modo scribendi veterum discedamus. Sic quamvis veteres in fine sermonis non posuerint punctum, nihil tamen, quin eodem utamur obstat, ut nihil in sermone deficere, sed plenum & absolutum esse indicemus. Pariter licet veteres libros suos non in capita diviserint, nobis tamen id licet majoris perspicuitatis causa.* **An antiquitas necessario in distinctionum signis sequenda?**

EXPERIENTIA III.

§. 166. Non raro accidere videas, ut in una eademque sententia sensus ambiguitas inde oriatur, quod vocabulum quoddam tam ad antecedentia, quam ad sequentia, vel in antecedentibus **Diversa vocabuli ad reliqua relatio sæpe parit sensus diversitatem**

bus tam ad remotius, quam ad propius possit referri. Sic si in vernacula nostra dicam ex Joh. XVII, 3. Got der Vater ist allein vahrer Got, Deus Pater est solus verus Deus, ambiguitas sensus in hac propositione latet, quia utrum particula *allein*, *solus* ad subjectum, an ad prædicatum referenda sit, est dubium, & illa tam hunc sensum, *quod Pater*, *exclusis omnibus aliis*, *Deus sit*, quam hunc, *quod Pater sit Deus & nihil aliud*, u. g. homo, potest generare. Vide quæ de hoc loco a nobis dicta in Mysterio S. S. Trinit. revel. § 30, Schol. 1. Par ratio est, si dicam: *loquor bonum in corde meo*. Hæc enim propositio tam ita: *loquor bonum*, *quod in corde meo est*, quam ita: *loquor in corde meo id*, *quod bonum est*, potest intelligi.

THEOREMA XXI.

Perfectio linguæ signa diversa, ad diversam vocum relationem indicandam, postulat.

§. 167. In lingua perfectissima, si scribendo adhibeatur, de quolibet vocabulo per additum certum signum indicandum est, utrum ad præcedentia, vel ad sequentia, & pariter, utrum ad remotius, vel ad propius referendum sit.

DEMONSTRATIO.

Quidquid ad summam intelligendi facilitatem facit, ei in lingua perfectissima est studendum (§ 111). Cum igitur facilitas intelligendi admodum hoc ipso promoveatur, si de qualibet voce indicetur per certum aliquod signum adjectum, utrum ad præcedentia, an ad sequentia, & si ad præcedentia, utrum ad proxime, an ad remotius præcedens referenda sit; siquidem defectus ejusmodi signorum non raro sensus ambiguitatem parit (§ 166), in lingua perfectissima ejusmodi signis, singulis vocibus adiiciendis, opera est danda.

CO-

COROLLARIUM I.

§. 168. Signa igitur ejusmodi, utpote certam sensus qualitatem indicantia, erunt species signorum distinctionum (§ 167, 158). Talia signa sunt species signorum distinctionis,

COROLLARIUM II.

§. 169. Hinc tam figura, qua illa signa pingenda sunt, quam nomina, quibus exprimenda & denotanda, ab arbitrio hominum pendebunt (§168, 162). & hinc arbitraria.

SCHOLION I.

§. 170. *Quia autem aliis etiam distinctionum signis, quæ puncti, coli, semicoli, commatis valorem habeant, in lingua perfectissima opus est* (§ 159 seqq.); *consecutio vel series certa ejusmodi signorum, quibus in tota periodo distinctiones majores pariter ac minores, ut & conjunctiones vocum indicentur, formari, vel constitui potest ita, ut in eadem utraque species signorum, de quibus dictum* (§ 160, 167), *contineatur.*

SCHOLION II.

§. 171. *Luculentissimum hujus rei exemplum nobis præbent Accentus in Lingua Hebræa. Hi enim dum non solum distinctiones sensuum majores & minores per imperatores, reges, duces, sed conjunctiones singularum vocum etiam cum consequentibus per servos actu tales (interdum enim & conjunctivi accentus distinguunt, habita ratione dominorum, & prouti sunt vel vicarii, vel legati,) indicant, ad sensum Scriptoris sacri in Codice V. T. exactissime inveniendum ita facientes; memorabili perfectionis Linguæ Hebreæ documento sunt. Sic* Gen. II, 19, *ex consecutione Accentuum evidenter patet, Deum non bestias agri tantum, sed aves cœli etiam ex terra creasse, quod in versione* LXX. *virorum minus est evidens, dum in phrasi*: Και ἐπλασεν ὁ Θεος ἐτι ἐκ της γης παντα τα θηρια του ἀγρου, και παντα τα πετεινα του οὐρανου *vocabula* ἐκ της γης, *ex terra, ad sola bruta terrestria, avibus exclusis, sine sensus inconvenientia* Exemplo sunt Accentus Hebreorum,

trahi

trahi posset. Et sane si curate summum Accentuationis Hebraicæ artificium perpendimus, quale in nulla, vel paucis aliis linguis deprehenditur, ingenii divini, aut maximi humani res videtur esse.

SCHOLION III.

quorum divina origo in S. Codice defenditur.

§. 172. *Fac autem, accentuationem Hebraicam in se inventum humanum esse, non tamen inde, accentus in S. Codice non ab ipsis Viris inspiratis profectos, sed ab aliena manu additos esse, sequitur. Non enim argumenta, quæ contra divinam Accentuum in S. Codice originem opponuntur, debita soliditate gaudent, dum, quæ illis reponantur, non deficiunt. Opponunt*

1. Scriptum fuisse olim sine distinctione vocum; prouti Buxtorffius testatur, se possidere partem Bibliorum ita descriptam, & idem colligi potest, cum ex D. Hieronymi præfationibus ad Josuam, Jesaiam, & Ezechielem, tum ex versione LXX, qui sæpe voces separandas conjunxerunt & contra (§ 157), denique ex lege sequiori ætate ab Hebræis lata, ut si quis vellet in posterum describere Codicem Hebræum, spatium inter vocem & vocem, instar unius literæ, relinquat. Cum vero Accentus distinctivi distinguant, v. g. Silluk cum Soph Pasuk, Segolta, Sakephkaton ceteri, Accentus olim Codici S. non additos fuisse, concludunt. *Non autem sequitur hoc argumentum. Non enim Accentus distinctivi verba textus, qua verba, debent distinguere, i. e. ita ut spatium inter verba relinquatur consignata, quia alias Accentus conjunctivos verba textus, qua verba, conjungere debere, adeoque inter verba, Accentibus conjunctivis instructa, spatium relinquendum non esse, sequeretur, quod oppido inconveniens est; sed qua sensum, ut utrum vox qua sensum ad antecedentia vel ad sequentia referenda sit, per eosdem indicetur. Hæc autem vocum qua sensum distinctio, verbis licet non cum distinctione sed in una serie*

con-

consignatis, salva manet, & hinc etiam per Accentus distinctivos potuit indicari. Quin potius si Codex Hebræus olim sine spatio inter voces relicto consignatus fuit, eo magis opus fuit Accentibus, singulis vocibus addendis, ut ex Accentu addito vocem diversam esse cognosceretur. Quamvis enim Hebræi litteras finales, terminationes personales verborum & nominum habuerint, merito tamen, an hæc in omnibus casibus suffecerint, ad voces a se invicem distinguendas, dubitandum videtur. Nec ex eo, quod versio LXX interpretum sæpe ab Accentibus Hebræi textus recedat, concludi potest, recentiori ætate demum eos additos fuisse. Fieri enim potest, ut in illis Codicum; quibus usi sunt, locis, ubi versio Græca ab Accentibus Hebræis recedit, minus curate distincteque positi fuerint, ut adeo, si vel maxime de diligentia eorum dubitare nolimus, non potuerint tamen omnia satis assequi; ut taceam, ex eodem principio novitatem vocalium etiam asserendam esse, quod multi tamen nolunt dissentientium.

2. Opponunt, non ubivis Silluk cum Soph Pasuk efficere distinctionem absolutam, nec versus Bibliorum accurate per Accentus distingui, dum non raro in uno versu Subjectum, in altero Prædicatum deprehendatur; id quod sapiat aliquid humani.

At vero, cur id, si verum est, divinam Accentuum originem in S. Scriptura tollere debeat, nondum adparet. Deus enim vel emphaseos gratia, vel interdum propter evitandos versus nimis longos, vel propter alias rationes in casibus singularibus, si adducantur, investigandas, ita potuit inspirare.

3. Ubi nota adest masorethica, ibi Accentuatio accommodatur ad litteras, in margine, non autem in textu positas. Sed annotationes marginales non sunt a Deo inspiratæ. E. nec earum Accentuatio.

Sed ut taceam, omnium notarum marginalium

ori-

originem mere humanam nondum in solis mensa positam esse, dum nec eorum sententia, qui multas ex lectionibus Codicum vetustiorum variantibus forsan, Judæis utramque lectionem conservare volentibus, ortum traxisse putant, omni probabilitate caret: accidit sæpissime, ut Accentus lectionis in textu & in margine posita, hoc est τῷ Kri & Chthibh coincidant. Et si fiat forte, ut Accentus in textu positus non ad Chthibh, sed potius ad Kri quadret, Kri autem illud non ex inspiratione sit; id tantum sequitur, Accentum hujus verbi non esse ex inspiratione; unde ad totam Accentuationem Biblicam concludere, est a particulari argumentari, Taceo, κατ' ἄνθρωπον idem argumentum, mutatis mutandis, contra inspirationem vocalium, quæ tamen a pluribus conceditur, urgeri posse.

4. Duplicatio accentuum in Decalogo duplicem respicit Decalogi modulationem, unam Sabbathicam, alteram præceptorum tempore solennium Pentecostalium in memoriam legis latæ adhibendam. Hæc modulandi consuetudo autem est a Judæis recentioribus excogitata.

Fac autem, Accentuationem præceptorum a Judæis recentioribus esse excogitatam & additam, nihil tamen obstat, quin Accentuatio versuum sit a Mose addita. Sed utraque etiam Accentuatio potest a Mose addita esse ita, ut una esset versuum pro serie contextus sui, altera præceptorum, quam in talibus lapideis a Deo scriptis habuerunt. Cum igitur Accentus in Codice S. Hebræo recentius additos esse solide probari nequeat, mutatio autem, qualis hæc esset, si S. Codex olim sine Accentibus, deinde illis ornatus & instructus fuerit, non præsumenda, sed probanda sit; Accentus illos potius semper ibi adfuisse, adeoque ab ipsis Viris inspiratis esse profectos, credendum est. Sed hæc obiter.

EX-

EXPERIENTIA IV.

§. 173. Potest interdum accidere, ut ex diversa vocis suppositione oriatur Sensus Ambiguitas. Sic in propositione: *Vox tantum sonum habet*, pro suppositione materiali vel formali vocis: *tantum*, plane diversi oriuntur sensus. Pariter dum eadem vox, v. g. אדם in lingua Hebræa, jam in sensu appellativo, jam in proprio sumi potest coll. Hos. VI, 7, pro diversitate acceptionis plane diversi sensus oriri possunt, adeoque latet ambiguitas.

Ambiguitas sæpe oritur ex suppositione vocis diversa.

THEOREMA XXII.

§. 174. In Lingua perfectissima utilissimum est, si eædem litteræ diversis signis pingi possint.

Perfectio linguæ postulat diversum unius litteræ pingendi modum.

DEMONSTRATIO.

Si eædem litteræ diversis figuris pingi possunt, ope diversitatis picturæ earum diversitas suppositionis vocabuli potest indicari, utrum e. g. *formaliter*, an *materialiter*, *proprie*, vel *appellative*, accipiendum sit; unde alias sensus ambiguitas potest oriri (§ 173). Cum autem quidquid ad summam perspicuitatem facit, ei in lingua perfectissima studendum sit (§ 111); diversitas signorum, quibus litteræ eædem pingantur, in lingua perfectissima erit utilissima.

SCHOLION.

§. 175. *In Lingua Latina aliisque Occidentalibus ejus rei exemplum deprehendimus, dum majusculis æque ac minusculis litteris, prouti perspicuitas sensus, vel aliæ rationes postulant, eadem vox potest designari.*

Exemplum.

THEOREMA XXIII.

Perfectio linguæ postulat commoditatem & brevitatem.

§. 176. **Quidquid ad brevitatem ac commoditatem in loquendo & scribendo facit, ei, quantum potest fieri, in Lingua perfectissima est studendum.**

DEMONSTRATIO.

Quo facilius breviusque & minori cum molestia finis obtinetur per medium; eo illud est perfectius (§ 107). Cum igitur lingua sit medium ad hoc, ut nos invicem intelligamus (§ 109): quo brevius commodiusque in loquendo & scribendo mentem nostram exprimere possumus; eo perfectior erit lingua. Ut igitur Lingua sit perfectissima, ei, quod maxime ad brevitatem & commoditatem in loquendo & scribendo facit, erit opera danda, quoad fieri potest.

Idem inde cognosci potest, quod Canone trito, per plura fieri non debere, quod per pauciora obtineri potest, recte dicitur. Mediis enim prolixioribus effectui dare, quod paucioribus acque bene poterat, sapientiæ repugnat.

DEFINITIO XXXV.

Quid Syllaba, Vox monosyllabica & polysyllabica?

§. 177. **Sonus, vel sola vocali, vel diphthongo sola, vel adjectis simul consonantibus una pluribusve constans, dicitur *Syllaba*. Vocabulum unica syllaba constans, dicitur *Monosyllabicum*; pluribus autem constans *Polysyllabicum*.**

THEOREMA XXIV.

Perfectio linguæ excludit voca-

§. 178. **A vocabulis nimis polysyllabicis in lingua perfectissima abstinendum est.**

DE-

DEMONSTRATIO.

Quidquid brevitati & commoditati in loquendo & scribendo obest, ab illo in Lingua perfectissima est abstinendum (§ 176). Sed vocabula nimis polysyllabica & brevitati & commoditati in loquendo & scribendo adversantur; dum nemo potest dubitare, vocabulum brevius facilius commodiusque pronunciari & litteris consignari posse, quam longius; uti e. g. *Constantinopolis*, difficilius dicitur & scribitur, quam *Stambul*, quo nomine Turcæ eandem urbem denotant. Hinc a vocabulis nimis polysyllabicis est in lingua perfectissima abstinendum. bula nimis polysyllabica,

COROLLARIUM.

§. 179. Vocabula igitur in Lingua perfectissima debent esse tam brevia, ac fieri potest (§ 178). & postulat brevia.

SCHOLION I.

§. 180. *Dico:* ac potest fieri. *Nam cum quælibet res nomine peculiari denotanda sit* (§ 112); *sequitur, ut, si ex nimia vocabulorum brevitate confusio oriretur, ut res diversæ eodem nomine essent denotandæ, ab illa brevitate abstinendum sit. Dabimus etiam in sequentibus rationem aliam, cur non omnia vocabula nimis brevia esse debeant.* Monitum.

SCHOLION II.

§. 181. *In hoc aliis linguis palmam præripit Hebræa, dum in ea quælibet radix ordinarie tribus tantum constat litteris radicalibus, duabusque syllabis, nec multa nimis longa vocabula in illa deprehenduntur, quod secus se habet in Chaldæa.* Exemplum.

DEFINITIO XXXVI.

Quid vocabulum compositum & simplex?

§. 182. *Vocabulum compositum* dicitur, cui plures notiones simul sumendæ respondent: e. g. Θεάνθρωπος; cui non, *simplex* e. g. Θεὸς, ἄνθρωπος.

SCHOLION.

Differentia vocabuli compositi ab æquivoco.

§. 183. *Studiose dico*: Plures notiones simul sumendæ, *ut vocabulum compositum ab æquivoco distinguatur. Nam vocabulo æquivoco etiam plures notiones respondent quidem* (§ 113), *sed non illæ simul in eadem verborum syntaxi sumendæ sunt, dum illa potius, quæ conveniens est illi, reliquis est præferenda.*

THEOREMA XXV.

Perfectio linguæ postulat vocabulorum contractionem.

§. 184. **In Lingua perfectissima vocabula simpliciora, quoad fieri potest, in unum sunt contrahenda.**

DEMONSTRATIO.

Contractio vocabulorum plurium in unum facit ad brevitatem commoditatemque in loquendo pariter ac scribendo, dum unum vocabulum brevius faciliusque, quam plura, efferri posse, dubitari nequit. Cum autem brevitati ac commoditati in loquendo & scribendo in Lingua perfectissima sit studendum (§ 176), in eadem vocabula simpliciora, quoad potest fieri, in unum sunt contrahenda.

SCHOLION I.

Monitum.

§. 185. *Dico:* quoad fieri potest. *Nam si ex contractione vocum simpliciorum orirentur vocabula nimis longa, vitio id esset vertendum, tanquam obstans commoditati* (§ 176).

SCHOLION II.

Exemplum.

§. 186. *In hoc quoque singulare quid in lingua Hebræa aliisque cognatis præ Occidentalibus deprehendimus, dum Hebræi* 1) *Pronomina ipsis nominibus in fine adiiciunt,* 2) *Præpositiones cum principio nominis vel verbi solent conjungere; unde*

de fit ſæpe, ut, quod in aliis linguis tribus vocabulis exprimendum eſt, illi exprimant unico. Quo pertinet etiam, quod ipſas conjunctiones cum nominibus vel verbis in unum vocabulum ſoleant contrahere.

COROLLARIUM.

§. 187. Dum in in lingua perfectiſſima vocabula ſimpliciora, quoad fieri poteſt, in unum contrahenda ſunt (§ 184); in eadem etiam pluribus vocabulis compoſitis opera danda eſt (§ 182).

Perfectio poſtulat vocabula compoſita.

SCHOLION I.

§. 188. *In hoc lingua Græca, compoſitorum verborum fertiliſſima, præ multis excellit aliis, dum* e. g. Θεάνθρωπος, φιλοσοφία, Θεολογία, *bene & concinne dicitur. Morem ejus imitatur vernacula noſtra, quando e. g.* Gotteſgelahrtheit, Weltweisheit, Herzensfreund Geldſtraffe, cetera dicere ſolemus.

Exempla.

SCHOLION II.

§. 189. *Poteſt huc etiam referri, ſi nomini vel verbo præponitur particula certa, ad ſignificatum vel intendendum, vel imminuendum, vel ſignificatui aliquid addendum. Qualia verba in Græca, Latina & vernacula noſtra deprehendimus,* e. g. Ἀνομία, Ἄθεος, præpotens, ſubtriſtis, revoco, contravenio, Aufgehen, Heimkommen, untadelhaft, *cetera*.

Caſus alius.

SCHOLION III.

§. 190. *Facile autem patet, cum vocabula propter compoſitionem multiplicatam nimis longa pronunciatu difficilia ſint, ab illis eſſe abſtinendum* (§ 176).

Monitum.

THEOREMA XXVII.

§. 191. Si poteſt fieri, ut uno vocabulo non notio primaria tantum, ſed acceſſoria ingrediens ſimul denotetur, illud eſt faciendum.

Notio primaria & acceſſoria uno vocabulo exprimenda.

DEMONSTRATIO.

Nemo non perſpicit, ſi uno vocabulo non notio primaria tantum, ſed acceſſoriæ ingredientes ſimul denotentur, brevitatem loquendi ſcribendique mirum quantum hac ratione promoveri. Hinc, quia iſti in lingua perfectiſſima ſtudendum eſt (§ 176), id quod dictum eſt, etiam, ſi fieri poteſt, eſt faciendum.

SCHOLION.

Exempla. §. 192. *In Latina aliiſque linguis huc pertinet, 1) quod nomen adjectivum in comparativum & ſuperlativum flecti queat, utpote quo gradus diverſus notionem primariam ingrediens, connotatur. 2. Quod ex nominibus ſubſtantivis ſoleant formari diminutiva, utpote quibus & notio primaria & parvitas vel exiguitas rei indicatur*, e. g. *ex* Pagina pagella, *quæ parvam paginam, ex* Circulo circellus, *qui exiguum Circulum denotat. Memorabile hujus rei exemplum præbent etiam Conjugationes in Lingua Hebræa, dum Conjugatio Kal actum ſimplicem, Piel actum cum induſtria & ſtudio ſuſceptum, Hiphil actum tranſitivum juſſionis vel permiſſionis, vel declarationis, Hithpael denique actum reflexum ad ſe ipſum denotat, uti apud hujus linguæ cultores in confeſſo eſt.*

THEOREMA XXVIII.

Perfectio linguæ poſtulat crebriorem vocalium & conſonantium permixtionem. §. 193. In verbis linguæ perfectiſſimæ vocales conſonantibus crebro debent eſſe permixtæ.

DEMONSTRATIO.

Si ſolæ continuo vocales, non intercedentibus conſonantibus, pronunciari debeant, non id fit, teſte experientia, ſine difficultate & moleſtia propter continuam gutturis agitationem. E contrario ſolæ conſonantes ſine vocalibus ne quidem pronunciari poſſunt (§ 13), nimis autem cumulatæ pariter difficilem reddunt pronunciationem. Quia autem in lingua perfectiſſima commo-

moditati in loquendo studendum est (§ 176); sequitur, in eadem vocales consonantibus crebro esse intermiscendas.

SCHOLION.

§. 194. *Vitio consonantium nimis cumulatarum laborare linguam Polonorum, non ignotum est. E contrario in lingua Hebræa, ubi plures consonantes concurrunt, & pronunciatio dura videri posset, deficiente vocali vera, substituunt spuriam,* h. e. Scheva, idque vel simplex, vel pro re nata compositum. Exemplum.

DEFINITIO XXXVII.

§. 195. *Consonans* dicitur *pronunciatu facilis*, si sine nimia organorum loquelæ detorsione potest exprimi. Quando Consonans pronunciatu facilis?

THEOREMA XXIX.

§. 196. In Lingua perfectissima Consonantes debent esse pronunciatu faciles. Perfectio linguæ requirit Consonantes pronunciatu faciles.

DEMONSTRATIO.

In Lingua perfectissima commoditati in pronunciando est consulendum (§ 176). Cum vero Consonantes, quæ pronunciatu faciles sunt, sine nimia organorum loquelæ distorsione exprimi possint (§ 195), adeoque illi in loquendo commoditati conformes sint: in Lingua perfectissima consonantes pronunciatu faciles debent adesse.

SCHOLION I.

§. 197. *Equidem negandum non est, Consonantes etiam in se pronunciatu difficiles, per usum loquendi crebriorem reddi faciliores. Sic pronunciatio Anglica τοῦ* th, *Germanis insolens, usu & exercitatione redditur facilior. Attamen nonnullas consonantes pro diversitate linguarum aliis in se pronunciatu difficiliores esse, teste experientia, negari nequit.* Monitum.

SCHOLION II.

Monita alia de brevitate & commoditate.

§. 198. *Denique ad brevitatem commoditatemque scribendi in lingua perfectissima etiam referri potest*, 1) *ut præter litteras, quibus res designentur, etiam compendii causa adsint signa alia, ad res denotandas apta, qualia in Arithmetica sunt Cyphræ* 1, 2, 3 *cetera, in Astronomia* ☉ ☽ *reliqua, de quibus supra jam actum est* (§ 45). *Quæ quidem signa eo erunt perfectiora, quo melius essentiam rei denotatæ exprimunt* (§ 86 seqq.). *Pertinent huc etiam abbreviati scribendi modi, quibus totum vocabulum, vel syllaba, littera unica exprimatur*, qui, cum Tachygraphiam admodum promoveant [§ 45], *si universali consensu recipiantur, nec ulla inde sensus ambiguitas vel obscuritas oriatur, laudandi & adprobandi* (§ 176); *si minus, propter ipsam inde ortam sensus obscuritatem potius reiiciendi sunt* (§ 111). *Unde potest intelligi, sapienter Justinianum Imperatorem de conceptione digg. ad Tribon.* § 13, *de confirmat. digg.* § 22, *it. de emendat. Codicis* § 5, *sub pœna sanxisse*, ne, notis seu signis quibusdam, quæ siglas vocant, & compendiosis ænigmatibus, qui libros corporis Juris Justinianei describere vellent, uterentur. *Bene eim prævidit fore, ut inde variæ antinomiæ & sensus legum dubii orirentur, qui omnibus tamen obscuritatibus carere debent. Varia etiam vitia versioni* LXX *ex scriptura compendiaria, a scribis non satis intellecta & hinc in sinistrum versa, irrepsisse, notavit* M. Geret in Dissert. 2 de Causis discrepantiarum Versionis LXX a textu originali p. 9. 2) *Ne scribantur litteræ superfluæ*, i. e. *quæ in pronunciatione omittuntur*; *quo vitio nimis laborare linguam Gallorum pervulgatum est*. 3) *Vitio etiam vertendum videtur esse, si eædem litteræ in diversis vocibus diversa pronunciatione gaudeant, quod in lingua Anglica deprehenditur. Deficit enim consensus debitus*, i. e. *perfectio*.

THEO-

THEOREMA XXX.

§. 199. Lingua perfectissima ita se habere debet, ut, abstrahendo a rebus denotatis, cum jucunditate audiatur.

Perfectio linguæ requirit, ut cum jucunditate audiatur.

DEMONSTRATIO.

Quia, per linguam, ore prolatam, cogitationes nostras cum audiente communicare volumus (§ 108, 21), in perfectione linguæ diiudicanda ad audientem etiam est respiciendum. Sed dum quidquid nobis tædium creat, id nos vocamus malum atque imperfectum, quia non consentit cum fine nostro (§ 105), lingua etiam, quæ cum tædio, abstrahendo licet a rebus significatis, auditur, relative est imperfecta. Hinc ad perfectissimam linguam requiritur, ut in se cum jucunditate audiatur.

THEOREMA XXXI.

§. 200. In Lingua perfectissima nec vocabula mera monosyllabica, nec mera polysyllabica debent esse.

Hinc respuit vocabula mera monosyllabica & mera polysyllabica.

DEMONSTRATIO.

In Lingua perfectissima & commoditati loquentis & jucunditati audientis est consulendum [§ 176, 199]. At vero vocabula vel mera monosyllabica, vel mera polysyllabica cumulari, & loquentis commoditati, quod experientia docemur, & audientis jucunditati admodum obstat, siquidem, quod ad posterius attinet, teste experientia, varietate animus delectari, & hinc semper sibi homogenea ægre ferre soleat. Hinc in lingua perfectissima vocabula nec mera monosyllabica, nec mera polysyllabica sunt adhibenda.

SCHOLION.

§. 201. *Sic* e. g. *quis cum tædio non pronunciat ac audit hos duos versus sequentes, qui salvo & metro & sensu* 39916800 *vicibus combinari & variari possunt*:

Exempla.

L:x,

Lex, rex, grex, res, spes, rus, thus,
sal, sol, (bona) lux, laus,
Mars, mors, sors, fraus, fex, styx, nex,
crux, pus, (mala) vis, lis?

Simile fere exemplum prabet versus Ebelii, qui 645120 vicibus variari potest:

Dux mihi tu, mihi tu lux, tu lex, Jesule, tu rex,
Jesu, tu pax, tu fax mihi, tu mihi vox.

Ubi maxime in priori exemplo tædium non potest non ex cumulatis nimis monosyllabicis vocabulis & variationis defectu pendere; quemadmodum etiam crebra abruptio soni in pronunciatione difficultatem parit. Pariter non sine aliquo tædio audiuntur atque pronunciantur v. g. hæc verba: Constantinopolitanis Imperatoribus interminalibus felicitatibus fruendum est; *propter vocabula mera polysyllabica.*

COROLLARIUM.

Eademque requirit eorum permixtionem. §. 202. In Lingua igitur perfectissima vocabula mono- & polysyllabica sunt permiscenda (§200). Ita enim propter varietatem tædium avertitur.

SCHOLION.

Exempla. §. 203. *Hanc perfectionem in omnibus, vel plerisque saltem linguis orientalibus æque ac occidentalibus deprehendimus.*

DEFINITIO XXXVIII.

Tonus quid? §. 204. Intensionem soni unius syllabæ vel verbi præ reliquis vehementiorem dicimus hoc loco *Tonum*.

SCHOLION I.

Exemplum. §. 205. *Sic e. g. in voce Germanica:* Gebet, *tonus vel est in ultima, vel in penultima syllaba, prouti in latina lingua vel* precationem, *vel* dare, *denotat, quia pro hac diversitate suppositionis vel ultimæ, vel penultima syllabæ sonus intenditur.*

SCHO-

SCHOLION II.

§. 206. *Tonum autem per intensionem soni vehementiorem definiri, non mirabitur, quisquis perpendet naturam intensi, quod in illo partes non extra, sed intra se invicem contenta h. e. gradus diversi, quorum superior inferiores includit, deprehendantur ita, ut usque ad ultimum gradum ens ejusdem essentiæ maneat; de quo subtilius in Diss.* de Gradatione virtutum naturalium § 4 *disputavi. In sono autem, & sic etiam in tono, prouti motus aeris tremulus vel vehementior, vel remissior est (§ 6), diversos gradus deprehendi, experientiæ est conforme.*

Cur per intensionem definiatur?

THEOREMA XXXII.

§. 207. In Lingua perfectissima Tono est studendum.

Perfectio linguæ exigit variationem toni.

DEMONSTRATIO.

Variatio soni ratione intensionis tam syllabarum in voce qualibet, quam integrarum vocum facit ad jucunditatem audiendi, quia varietas animum delectare solet. Quia igitur quidquid ad jucunditatem audiendi facit, ei in lingua perfectissima studendum est (§ 199), variationi soni opera est danda ratione intensionis ejusdem. Tono igitur est in Lingua perfectissima studendum (§ 204).

DEFINITIO XXXIX.

§. 208. Intensio soni omnium syllabarum & vocum æqualis dicitur *monotonia*.

Monotonia quid?

COROLLARIUM I.

§. 209. In monotonia igitur nullus adest tonus, quia intensio soni unius syllabæ vel vocis præ reliquis vehementior ab illa abest (208, 204).

Deficit in illa tonus;

COROLLARIUM II.

§. 210. Unde prono sequitur alveo, in lingua perfectissima maximopere in loquendo a monotonia esse abstinendum (§ 207, 209).

unde e lingua perfecta exulare debet.

SCHO-

SCHOLION.

Consensus. §. 211. *Scilicet quanto tædio monotonia mentem afficere soleat audientis, exemplo Oratorum Ecclesiasticorum interdum docentur auditores; & optime Quintilianus* l. II, 3 *in pronunciando* vitandam esse *ait unam* quandam spiritus ac soni intentionem, quæ Græce *μονοτονια* vocatur.

DEFINITIO XXXX.

Accentus quid? §. 212. Signum Toni vocamus hoc loco *Accentum*.

SCHOLION I.

Differentia inter Tonum & Accentum. §. 213. *Scilicet inter Tonum & Accentum hoc jam putamus interesse, quod tonus sit ipsa syllabæ vocabulive præ reliquis elevatio, quæ loquendo ac pronunciando fit; Accentum autem dicimus signum, vocabulo adjectum, quo in qua syllaba tonus ponendus sit, indicatur.*

SCHOLION II.

Definitio illa usui loquendi est conveniens. §. 214. *Nec ab usu loquendi hæc nostra definitio recedit, nisi quod in lingua Hebræa Accentus vocibus adjecti, non tam elevationis & depressionis soni syllabarum, quam conjunctionis potius & separationis vocum ratione sensus instituendæ, signum sint, licet a nonnullis pro modulationum signis habeantur; de quo a Philologis copiosius præcipitur. Exemplo Accentuum autem in lingua Græca definitio nostra potest illustrari.*

THEOREMA XXXIII.

Perfectio linguæ Accentus postulat. §. 215. In Lingua perfectissima opus est Accentibus.

DEMONSTRATIO.

In lingua perfectissima quidem opus est tono (§ 207).

(§ 207). At vero si singulis vocibus etiam Accentus adiiciantur, facilius, in qua syllaba ponendus sit tonus, cognoscitur, quam ubi propter defectum Accentuum, vel ex mero usu illud discendum, vel ex contextus sensu colligendum est. Major igitur, ubi præter tonum accentus etiam adscribuntur, adest consensus, & hinc perfectio (§ 105). Unde in lingua perfectissima Accentibus est opus.

SCHOLION I.

§. 216. *Exemplum hujus perfectionis ex parte in lingua Græca invenimus, utpote ubi in qua vocabuli syllaba tonus ponendus sit, accentu addito solet denotari; licet* 1) *id ibi superfluum sit, quod vocabulis monosyllabicis*, u. g. Καὶ, δὲ, *Accentus etiam addi soleat, siquidem in ejusmodi vocibus elevatio unius syllabæ præ reliquis non & hinc eatenus nec tonus* (§ 204), *nec Accentus ibi locum habere potest* (§ 212). 2) *nec per Accentus Græcorum id obtineatur, ut in quo præ reliquis vocabulo tonus collocandus sit, indicetur.* **Exemplum.**

SCHOLION II.

§. 217. *Fieri autem posse videtur, ut ejusmodi inveniantur signa, quæ, pro diverso pingendi modo simul & in qua vocis syllaba præ reliquis & in qua præ reliquis voce tonus ponendus sit, indicent, cui major adhuc perfectio accederet, si conjunctio vel separatio vocum, de qua supra est actum* (§ 160 seqq.), *eadem opera per Accentus illos denotaretur. Et sane si in Hebræa lingua moris esset, ut Accentus in ea syllaba semper, ubi tonus est, ponerentur, possent simul duplici officio, scilicet & conjunctionis separationisque vocum & significationis toni, fungi.* **Quid per eadem signa simul præstari possit?**

SCHO-

SCHOLION III.

Transitus.

§. 218. *Data hac occasione de longitudine & brevitate syllabarum, ut & moris paucis agemus.*

DEFINITIO XXXXI.

Quid Longitudo & Brevitas syllabæ?

§. 219. *Longitudo syllabæ* est diuturnior, vel major soni syllabæ præ reliquis productio; *Brevitas* ejus est productio minor; Unde *æqualitas syllabarum* erit productio soni syllabarum æqualis.

SCHOLION.

Quomodo longitudo syllabæ a tono differat?

§. 220. *Patet hinc differentia inter syllabæ tonum & longitudinem, dum ille ad soni syllabæ intensionem* (§ 204), *hæc ad ejus productionem tendit* (§ 219).

THEOREMA XXXIV.

An Syllabarum inæqualitas ex tono oriatur?

§. 221. Tonus non infert necessario syllabarum inæqualitatem.

DEMONSTRATIO.

Quidquid non infert, ut una syllaba reliquis sit longior, illud non infert syllabarum inæqualitatem (§ 219). At vero tonus non infert, ut una syllaba reliquis sit longior. Nam quamvis per tonum sonus unius syllabæ præ reliquis intendatur (§ 204), non ideo opus est, ut præ reliquis producatur (§ 219), quia intensio & productio soni non sunt necessario connexa. Hinc tonus nec infert syllabarum inæqualitatem.

SCHOLION I.

Confirmatur thesis a posteriori.

§. 222. *Idem a posteriori apparet inde, quod, si tonus necessario inferret syllabarum inæqualitatem, & syllabam, in qua deprehenditur, ceteris longiorem faceret, in vocabulis, ubi omnes syllabæ æquales sunt, e. g.* auditu, *nullus posset esse tonus; nec in syllabis brevibus interdum, e. g.* redi-

redimo, *tonus esse posset; quod experientiæ tamen est adversum.*

SCHOLION II.

§. 223. *Per exemplum linguæ Hebraicæ etiam thesis nostra confirmatur, utpote in qua tonos syllabarum dari, nemini peritorum ignotum est, licet æqualitas syllabarum admittatur & doceatur.* Idem.

SCHOLION III.

§. 224. *Ne autem sinistre intelligamur, id tantum asserimus, tonum non inferre* necessario *syllabarum inæqualitatem. Fieri enim interdum posse, ut toni causa etiam producatur syllaba, adeoque ex illo per accidens syllabarum inæqualitas oriatur, non poterit negari.* Monitum.

COROLLARIUM.

§. 225. Posito igitur licet in certa syllaba tono, illo non obstante, syllabæ tamen possunt esse æquales (§ 221). Quid non impediat tonus?

DEFINITIO XXXXII.

§. 226. Duratio temporis, ad proferendam litteram, (aut si mavis, sonum), necessaria, dicitur hoc loco *Mora*. Quid Mora?

SCHOLION.

§. 227. *Scilicet hoc termino jam ita utimur, uti a Grammaticis solet adhiberi.* Monitum.

COROLLARIUM I.

§. 228. Dum ad quamlibet consonantem simplicem pariter, ac vocalem ore proferendam duratio certa temporis opus est, licet brevissima interdum, cuilibet consonanti simplici æque ac vocali mora est tribuenda (§ 226). Sed quia duas vel plures consonantes simplices, immediate concurrentes, uno conatu solemus proferre ita, ut durationes temporis, cuilibet simpliciori tributas non distinguamus, potest etiam pluribus simplicibus consonantibus, immediate concurrentibus, una mora tribui; in non- Qualibet littera habet moram, & interdum plures Consonantes unam.

nonnullis linguis etiam duæ vel plures consonantes uno charactere exprimuntur, e. g. ש pro Sch, Ψ pro Ps, χ, pro Ch, ξ, pro Ks.

COROLLARIUM II.

Vocalis vel simplicem, vel multiplicatam moram habet.

§. 229. Pariter dum vocales, vel per sonum abbreviatum, vel per prolungatum solent pronunciari, e g. Das, That, licet non in omni lingua diversa vocalium longarum & brevium signa, uti in Hebræa, reperiantur; vocali cuilibet vel mora simplex, vel duplicata, vel triplicata potest tribui (§ 226).

DEFINITIO XXXXIII.

Quid vocalis longa & brevis?

§. 230. *Vocalis brevis*, quæ simplicem habet moram; quæ vero duplicatam, vel triplicatam, *longa* vocari potest.

EXPERIENTIA V.

Quando vocalem producamus, vel abbreviemus?

§. 231. Solemus plerumque, si syllaba terminetur vocali, sonum hujus producere, vel, quia in minimis dijudicandis non sumus admodum solliciti, duplicare, adeoque duas moras ejusmodi vocali tribuere (§ 226), ut longa reddatur (§ 230); e contrario sonum vocalis contrahimus plerumque, si syllaba finiatur consonante, e. g. *Va-ter*, *Schal-len*, *la-trat*.

SCHOLION.

Ratio afferti.

§. 232. *Nec difficilis inventu est hujus rei ratio, utpote ex ipsa pronunciatione petenda. Abbreviatio vocalis, in quam syllaba terminatur, non sine difficultate effertur, cum, teste experientia, productio illius sit facilior. E contrario si syllaba consonante terminetur, abbreviare solemus vocalem, quia ad consonantis sequentis pronuncia-*

ciationem properamus. Fateor etiam, usu & consuetudine, quæ non raro ipsam rationem supprimit, interdum contrarium receptum esse; sed de illo jam quæstio non est, dum rem in se consideramus. Ut taceam, in illo casu, ubi vocalis syllabæ, in consonantem terminatæ, producitur, illam per fictionem duarum instar considerari posse.

THEOREMA XXXV.

§. 233. Quælibet si in lingua syllaba incipiat a consonante una vel pluribus, & nullæ in ea diphthongi sunt, quælibet syllaba habebit minimum tres moras. Quando quælibet syllaba tres moras habeat?

DEMONSTRATIO.

Si quælibet syllaba incipiat a consonante una vel pluribus, illa vel illæ constituent unam moram (§ 228). Jam vero vocali sequente vel syllaba terminatur, vel non. Si ea terminatur, erit producenda, ut adquirat duas moras, (§ 231), adeoque tota syllaba habebit minimum tres moras; si non, sed sequitur consonans finalis, erit abbrevianda (§ 231), ut unam tantum moram adquirat, tertia autem consonanti uni vel pluribus in fine competat (§ 228), adeoque iterum tres minimum in tota syllaba deprehendantur moræ.

SCHOLION I.

§. 234. *Dico*: minimum. *Nam posset fieri, ut propter tonum syllabæ adcrescentem accederet nova mora, adeoque essent quatuor; quemadmodum etiam defectum tertiæ moræ interdum supplere potest. Nam quia potest syllabæ productionem inferre* (§ 224), *potest vocali aliquam productionem addere.* Monitum.

SCHOLION II.

Cur in lingua Hebræa quæ libet syllaba minimum tres moras habeat?

§. 235. *Cum lingua Hebraica habeat requisita dicta, scilicet ut omnis syllaba incipiat a consonante una vel pluribus, & diphthongi ex illa exulent, prætereaque, quod in linguis Occidentalibus non deprehendimus, vocales in ea in veras & spurias dividantur, verarum autem tam longarum quam brevium characteres peculiares sint, denique in ea, si syllaba vocali brevi terminetur, nec tonus adsit, Metegh ad tertiam moram supplendam soleant addere, quo longæ vocalis characterem proprie adesse debere, indicatur: Philologis non fuit difficile observatu, quod in lingua Hebræa qualibet syllaba minimum tres moras habere debeat, nec, si præcedentia principia prius ponderassent, illud esset temporis recentioris inventum.*

SCHOLION III.

Monitum de principio Grammaticæ Hebraicæ.

§. 236. *Ita autem ope præcedentium principiorum primum Grammaticæ Hebraicæ principium, de tribus cuilibet syllabæ assignandis moris, quod a Philologis per modum hypotheseos vel experientiæ assumi solet, dedi demonstratum. Hinc quin solidas conclusiones ex eodem derivare queant, dubium esse nequit.*

SCHOLION IV.

Quid de numero morarum in syllabis aliarum linguarum sentiendum?

§. 237. *In aliis linguis res difficilior videtur esse, tum quia sæpe syllabæ incipiunt a vocalibus, tum quia sæpe sola vocalis totam syllabam constituit, e. g. ire, tum quia diphthongi, a lingua Hebræa alienæ, in illis solent sæpius occurrere. Perpendent autem qui ejusmodi meditationibus delectantur, curatius, annon, his non obstantibus, tamen in qualibet lingua alia tres cuilibet syllabæ moræ possint tribui. Nempe si re-*

cte

cte attendamus, in nostris linguis qualibet syllaba constat, vel

1. Sola vocali,

2. Sola diphthongo,

3. Consonante una vel pluribus, sequente vocali.

4. Consonante una vel pluribus, sequente diphthongo.

5. Vocali, sequente Consonante una vel pluribus.

6. Diphthongo, sequente Consonante una vel pluribus.

7. Consonante una vel pluribus, posita in medio vocali & Consonante una vel pluribus syllabam claudentibus.

8. Consonante una vel pluribus, posita in medio diphthongo, & consonante una vel pluribus syllabam finientibus.

Jam 1) *si syllaba sola vocali constet, facile tres moræ eruuntur. Vocali propter deficientem consonantem sequentem duæ moræ, ut longa sit, tribuantur* (§ 230), *&* *tertia suppleatur per tonum* (§ 234); *vel si tonus non adsit, tertia mora per metegh subintellectum suppleatur & propter defectum consonantis antecedentis vocali tribuantur tres moræ, præsertim cum vocalis sola soleat longius pronunciari, & in minutiis dijudicandis non admodum solliciti esse soleamus.*

2) *Si syllaba diphthongo constet sola, qualibet vocalis efficiat moram, tertia per tonum, vel productionem soni compositi & metegh subintellectum suppleatur.*

3) *Si syllaba constet consonante una vel pluribus, sequente vocali, consonans una vel plures constituant unam moram, vocalis autem sequens duas efficiat* (§ 231).

4. *Si consonante una vel pluribus, sequente diphthongo, consonans una vel plures una, & qualibet vocalis suam moram constituat.*

5. *Si constet vocali, sequente consonante una*

 vel

vel pluribus, videndum, annon tertia mora in tono, vel productione vocalis mediante metegh quæri queat.

6. *Si diphthongo & consonante una vel pluribus; res se habebit, uti* n. 4.

7. *Si consonante una vel pluribus in principio & fine positis, & vocalem inter se continentibus, vocalis intermedia unam, & consonantes initiales & finales duas alteras moras constituant.*

8. *Si diphthongus in medio consonantium sit posita, consonantes initiales* & finales duas, *diphthongus autem, ut unus sonus compositus, tertium moram potest efficere; ut taceam trino majorem morarum in syllaba numerum nec in ipsa lingua Hebræa excludi, sed minorem. His assumptis, annon in aliis linguis etiam tres cuilibet syllabæ moræ tribui possint, videndum erit; licet forsan quædam adhuc regulæ pro triphthongis, in quibusdam linguis receptis, essent addendæ. Nolo autem ulterius huic ingenii lusui indulgere, doctrinam de tribus syllabarum moris in lingua Hebræa, longe majorem, quam in aliis linguis utilitatem præstare, siquidem permutatio vocalium, quæ in aliis linguis non æque ac in Hebræa reperitur, ea nititur, non ignorans.*

DEFINITIO XXXXIII.

Quid Oratio ligata & prosaica?

§. 238. *Oratio*, in qua syllabæ ad certam mensuram componuntur, dicitur *ligata*, in qua non, *prosaica*.

THEOREMA XXXVI.

Perfectio linguæ postulat verba quædam soni similis.

§. 239. In lingua perfectissima verba similis ex parte soni debent esse.

DE-

DEMONSTRATIO.

Verba similis soni, sine affectatione conjuncta, in elocutione tam prosaica, quam ligata in animo audientis voluptatem producunt; quo pertinent etiam rythmi, in orationibus ligatis usitati. Talia enim verba conjuncta ingenium ostendunt oratoris vel poetæ, quod perfectio animæ est; ex cognitione perfectionis autem oritur voluptas [per princip. Psychol.]. Cum vero in lingua perfectissima jucunditati audientium sit consulendum (§ 199), in eadem etiam verba similis soni debent esse.

SCHOLION I.

§. 240. *Pertinent huc Epitaphia, in quibus verba similis soni non sine elegantia interdum cumulantur, u.g. si dicatur:* Exemplum.

Lege Viator & luge
Fata ad Vota
Viri
Nomine magni & omine, cetera.

At vero opera est danda, ne ex sonorum similitudine oriatur confusio evitanda.

SCHOLION II.

§. 241. *Verba similis soni interdum, pariter ac æquivoca, ad jocum excitandum facere possunt. Quia autem jocus (loquor de modesto, non de obscœno) facit ad voluptatem animi licitam, eatenus etiam verbis similis soni in lingua perfectissima debet esse locus; licet ab æquivocis rectius abstineatur* (§ 115). Monitum.

THEOREMA XXXVII.

Perfectio linguæ postulat, ut ad orationem ligatam apta sit.

§. 242. Lingua perfectissima ad orationem ligatam construendam debet esse apta.

DEMONSTRATIO.

Oratio ligata, ex regulis artis composita, quia ingenium poetæ, tanquam perfectionem mentis prodit, voluptatem in mente audientis æque ac legentis excitat. Quia autem ei, quod ad jucunditatem audiendi facit, in lingua perfectissima opera est danda (§ 199), ad orationem ligatam debet etiam esse apta.

SCHOLION I.

An oratio ligata supponat diversam syllabarum longitudinem ac brevitatem.

§. 243. *Quæri potest hoc loco*: an ad orationem ligatam necessario diversitas syllabarum, qua longitudinem & brevitatem, requiratur? *Et quamvis id quidem, uti ex prosodia tyronibus cognitum est, credatur vulgo, dum ipsa syllabarum longarum ac brevium certa variatio metrum solet constituere, nobis tamen longitudo syllabæ & intensio soni illius, quæ sunt diversa* (§ 220), *confundi videntur. Nam si ope distinctarum rejectis confusis notionum rem curatius perlustremus, metrum non tam a longitudine & brevitate syllabarum, quam ab intensione, vel elevatione ac depressione soni syllabarum variauda, hoc est, a variatione toni, pendere videtur. Sic e. gr. si ex hymno ecclesiæ sumantur verba prima*: O Got, du frommer Got, du Brunquell guter Gaben, *nemo qui prosodiam primis tantum labiis degustavit, versum ea constituere negabit, licet omnes syllabæ, secundum id, quod supra* § 237 *dictum est, examinatæ, in moris æquales inveniantur. Unde patet, a variata intensione soni syllabarum potius versum pendere. Eodem modo in poesi Latina se res habet. Nam si assumam versum tritum.*

Omnia

Omnia si perdas, famam servare memento, *cuilibet syllabæ tres moræ secundum superiora poterunt adsignari* (§ 237), *& nihilominus versus est*.

SCHOLION II.

§. 244. *Errant igitur, qui ab æqualitate syllabarum in lingua Hebræa ad negandam orationis ligatæ possibilitatem concludunt* (§ 243). *Si autem hac in re contrarium videatur aliis, uti opiniones radicatas e mente eiicere plus quam Herculeus labor est, quid per longitudinem vel brevitatem syllabarum intelligatur, distincte erit explicandum.* An lingua Hebræa orationis ligatæ impatiens?

SCHOLION III.

§. 245. *Si quæcunque in superioribus de lingua perfectissima demonstrata sunt, perpendantur recte, ad tria principia generalia* 1) *facilem intelligentiam*; 2) *commoditatem brevitatemque in loquendo & scribendo*; 3) *jucunditatem in audiendo*, rem redire, patescet (§ 111, 176, 199). Fontes generales de perfectione linguæ.

DEFINITIO XXXXV.

§. 246. Impugnatio propositionis, a diversa vocis acceptione orta, dicitur *Logomachia*. Logomachia quid?

SCHOLION.

§. 247. *Sic si quis æternitatem essentiarum rerum impugnet, & intelligat essentias existentes, cum sermo tamen sit de possibilibus, committit Logomachiam.* Exemplum.

COROLLARIUM I.

§. 248. Logomachiæ igitur pendent a verborum æquivocationibus (§ 113, 246). pendent ab æquivocationibus;

COROLLARIUM II.

§. 249. Hinc cum a lingua perfectissima æquivocationes verborum abesse debeant (§ 115), ex eadem etiam exulare debent Logomachiæ. absunt a lingua perfecta.

COROLLARIUM III.

Perfectio linguæ promovet facilitatem intelligendi.

§. 250. Pariter dum in Logomachia unus non intelligit alterum (§ 246, 21), in lingua perfectissima autem Logomachiis locus non est (§ 249), facilitas nos invicem intelligendi non potest non per illam promoveri.

SCHOLION.

Finis.

§. 251. *Equidem de Lingua perfectissima plura forsan adhuc alia , nec sine utilitate , dici possent . At quia novarum veritatum , cujuscunque sint generis, inventio non simul , sed successive fit, quæ adhuc dicta sunt in præsenti , sufficiant lectori benevolo, cujus judicium æquum ad alia tractanda reddet me alacriorem . Deo autem, in cujus gloriam lingua quoque mortalibus concessa , lingua licet imperfectiore laudem dicimus æternam .*

DI-

DISSERTATIO PRIMA

DE

VARIIS LINGUARUM PERFECTIONIBUS

CONSCRIPTA

A

M. GEORGIO CHRISTIANO

HALLBAVERO


SCHOLÆ SENATORIÆ JENENSIS RECTORE.



VA



per e
aliam
aliam
concl
esse c
tivis
abest.
guaru
ex pa
perfec
datio
perfe
nulve
remu
quli
fecti



DE
VARIIS LINGUARUM
PERFECTIONIBUS
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

Linguarum aliam alia eſſe antiquiorem, recentiorem, locupletiorem, pauperiorem, graviorem, elegantiorem, faciliorem aliam ut pronuncietur aut diſcatur, aliam magis perſpicuam ut per eam cunctæ res clare atque diſtincte ſignificentur, aliam inter cultiores gentes magni, aliam parvi fieri, aliam ubivis ſonare, aliam patrii tantum ſoli anguſtis concluſam terminis, atque adeo aliam alia perfectiorem eſſe contendunt, qui de earum differentiis aut prærogativis diſputant. Quod ſicut generatim dictum a vero non abeſt, ſiquidem humanarum rerum omnium, hinc & linguarum ea eſt ſors atque conditio, ut nihil earum omni ex parte abſolutum dici queat; ita ſi in alicujus linguæ perfectione dijudicanda, aut in idiomatis cujuſdam emendatione ſuſcipienda caute agere velimus, opus eſt, ut de perfectionis genuina prius conveniat notione, ne plus minuſve, quam par eſt, cuidam tribuentes idiomati, aberremus a vero, quod fieri vulgo conſtat, quum fere ſuam quilibet vernaculam, vel cui maxime operam dedit, perfectiſſimam venditare ſoleat.

§. II.

§. II.

Est autem Philosophis perfectio rerum diversarum in uno consensus, seu quum plura ad finem quendam communem, suum conferunt. Qua propter in linguis erit perfectio, si, quæ in illis occurrunt, vocabula ad significandas bene rerum cunctarum notiones, qui est finis eorum communis, conjunctim concinunt.

§. III.

Quicquid enim præstantiæ perfectionisve lingua habet, id non extra ipsam, in aliis rebus, ut antiquitate, auctoritate & applausu plurimorum hominum, sed in ipsa natura essentiaque ejus quærendum, quæ in eo consistit, ut rerum vel, quod idem est, cogitationum præstet signa per vocem articulatam: unde simul, quis linguarum sit finis, apparet, cogitationum nimirum significatio, cujus medium est ea, quam diximus, vox articulata seu loquela. *Namque loquendi*, AUGUSTINUS recte ait, *omnino nulla caussa est, si quod loquimur, non intelligunt ii, propter quos, ut intelligant, loquimur*, L. IV. cap. 10. doctrinæ Christianæ. Quum vero, quo magis fini suo obtinendo aptum est medium atque accommodatum, eo perfectius sit; lingua quoque eo præstantior ac perfectior est habenda, quo meliora rerum signa complectitur, quorum ope vel nobismet eas repræsentare, vel aliis hominibus impertiri possumus.

§. IV.

Etenim dum rerum cogitationumve significationem constituimus finem loquelæ, istas vero vel nobis ipsis repræsentemus per vocabula, vel aliis, duplex emergit sermonis finis, ac potius unius ejusdemque diversus ad personas, quibus res per verba repræsentantur respectus. Istum quidem, qui ad alios pertinet, quibuscum socialiter vivimus, negare ausus fuit nemo unquam, quin plerumque eum unicum loquendi scopum admiserunt. Ceteros ut taceamus, ipse SAMUEL PUFENDORFIUS subdubitat, num alius præter jam dictum esse possit, *hujus*, inquiens, *facultatis loquendi extra socialitatem inter homines vix ullus usus intelligi potest* L. IV. c. I. Jur. Nat. & Gentium. Est sane, est eximius hic linguæ fructus, in consociandis conciliandisque inter se mortalibus. Loquuntur enim, ut

alius

alius alii consultent dubiis in rebus, ut opem petant ferantque, quum in discrimine versantur, ut moneant incautos, rudes doceant, innocentes defendant, ut consentiant in idem, promittant, pacificantur, ut conjunctis viribus imperium in totum terrarum orbem exerceant, maria traiiciant, in intima telluris viscera penetrent, reconditosque in iis thesauros suos faciant, ut domos, urbes, mœnia exstruant, adeoque ex indigentissimis imbecillimisque, qui absque loquela forent, hujus adminiculo evadant omnium rerum copia affluentes, summaque rerum & imperio potiti.

§. V.

Non tamen minoris faciendus est is, quem intellectui & rationi excolendæ capimus ex sermone, fructum. Nam quicquid in tota hac universitate est, quod cognoscere nostra refert, id sive externos sensus afficiat nostros, sive non afficiat, ope certorum signorum demum menti clare atque distincte repræsentari potest. Etenim nonnisi obscuras accipimus per sensuum organa rerum imagines, ideo quia omnia, quæ in iis conjuncta ac commixta sunt, sensibus simul offeruntur atque una, hicque confusas & obscuras necessario menti sistunt ideas. Quas si claras volumus distinctasque concipere, necesse est, ut cogitando separemus characteres, seu qualitates singulas, quæ rei insunt, quæve mente distingui possunt, atque ut eas seorsim consideremus primum, tum in ea, qua sensibus se sistunt complexione. Hasce qualitates, quoniam in mundo seorsim non existunt, sed tantum in mente nostra ab objectis, quibus adhærent, separatæ concipiuntur, conjungere oportet singulas cum singulis signis, quibus in mentem revocatis, ipsæ abstractæ rerum ideæ cum signis combinatæ, menti una exhibeantur. Ceterarum vero rerum, quæ externos non feriunt sensus, multo magis eam esse conditionem, ut absque signis subire mentem ac distincte cognosci nequeant, non est qui dubitet.

§. VI.

Signa vero, quibuscum homines suas cogitationes ac rerum ideas copulare consueverunt, sunt voces articulatæ, seu vocabula, quorum conplexus linguæ nomine venire solet. Ex quo liquido apparet, linguæ seu sermonis beneficio

ficio homines non minus clare distincteque cogitare, quam animi sensa cum aliis communicare, socialemque, quam indigentia nostra requirebat, colere posse vitam.

§. VII.

Jam vero quum quodlibet medium eo perfectius sit habendum, quo melius promtiusque finem consequitur suum, ita & perfectior censenda lingua, quo magis rebus omnibus perspicue & promte repræsentandis idonea. Hinc in virtutibus linguæ perfectioris ponitur, primum, ut cunctas res, dein, ut clare & perspicue, postremo, ut promte menti eas exhibeat, ope vocum articulatarum.

§. VIII.

Itaque laus prima linguæ est, ut singularum rerum singula signa contineat. Si ita se habeat, is qui eam callet, non solum omnium hujus universi rerum ideas, sibi per eam lingua repræsentare, & quoties vult contemplari, sed cum aliis hominibus communicare valet ita, ut his eosdem, quos ipse habet rerum conceptus, ingeneret, quum omnes rei qualitates suo quamlibet vocabulo notatas, alteri enumerare, atque ita notionem rei claram, distinctam, adæquatam, prouti ipse habet, exhibere possit. E contrario haud levis est idiomatis alicujus defectus, quando rebus, aut notionibus quibusdam desint voces, quibus ceu signis indicentur. Tunc enim quam plurimæ res aut nostram effugient plane cognitionem, aut si qua earum idea per sensus, vel per imaginationem mentem subit, sine nomine mox evanescet, aliisque multo minus hominibus significari poterit. Ex quo jam facile intelligere licet, quænam lingua dives quæ contra pauper, jure suo dici queat.

§. IX.

Exemplo nobis jam erunt, ut rem illustremus non nihil, celebriores quædam linguæ, tres quidem, quæ in suis gentibus vernaculæ esse desierunt, *Hebræa*, *Græca vetus*, *Latina*, & tres, quæ adhuc sunt *Gallica*, *Italica*, *Germanica*. Prima, qualem quidem hodie habemus, vocabulorum inopia valde laborat, antiquis tamen temporibus satis locuples, præsertim aureo Salomonis, regum sapientissimi disertissimique, *cujus*, teste Scriptura Sacra 1 Reg. IV, 30 sq. *major erat sapientia quam sapientia om-*

omnium orientalium, & quam omnis sapientia Ægyptiorum: qui sapientior omnibus hominibus eloquutus est tria millia sententiarum, & quinque millia carminum: loquutus praterea de plantis a cedro, qua est in Libano usque ad hysopum, qua egreditur de pariete; item de bestiis & volucribus & reptilibus & piscibus: adeoque de eorum proprietatibus, usibus, finibus aliisque rebus hujus universi, ut admirarentur eum omnes, qui audirent, verba fecit. Ex quo quam uber quamque copiosa tum fuerit vernacula, quam loquebatur, lingua *Hebræa*, in aprico est positum.

Græca autem veteri nec hodie quicquam deest, ad copiæ laudem præ multis aliis sibi vindicandam, adeo, ut vel aliarum linguarum penuriæ, ex suis divitiis suppetias tulerit jam olim, hodieque adhuc ferat. Ad quam *Græci* idiomatis affluentiam, cum litterarum artiumque studia atque commercia, quæ inter eos maxime florebant, multum contulerunt, quoniam, quod recte CICERO adfirmat, *rerum copia verborum quoque copiam gignit*; tum plurimum facit, idiomatis ipsius ea conditio atque aptitudo, ut compositæ ex simplicibus voces formari facillime ac pereleganter queant, fœcundissima infinitarum dictionum parens, quæ semper sufficit novas novorum inventorum notas, detectarumque recens aut detegendarum in posterum etiam notionum signa nova.

Ad *Latinam* pergimus, quæ facundam opulentiam, quam inprimis JULII ET AUGUSTI CÆSARUM ævo florentissimo adepta est, conservare haud diu potuit, cum spolium prædaque exterarum paulo post fieret gentium. Quam vero fuerit locuples ante fatalia hæcce tempora, eo magis persuasum nobis est, quo plures in ea expolienda, augenda, atque ad summum, si qua fieri posset, perfectionis cacumen evehenda, omnem collocarunt operam uno fere tempore, & conjunctis velut viribus, viri in quovis litterarum genere præstantissimi disertissimique, JULII CÆSARES, CICERONES, NEPOTES, VIRGILII, OVIDII, VARRONES, FLACCI, SALLUSTII, CURTII. CICERONIS judicio si eam æstimamus, *græca* etiam orationis copiam superasse, dicendum esset, qui ad BRUTUM, *de finibus bonorum & malorum*, *verba facturus*, sub initium

Lib.

Lib. I. dicit: *ita sentio, & sæpe disserui Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Græcam*. De tanti testis fide quicquam derogatum nolumus, utpote qui utrasque optime callebat, eaque qua ambæ adhuc florebant, degebat ætate. Id tamen dissimulare non possumus, neque *Græcos* neque ceteros quoque *Latinos* idem cum CICERONE hac in re sensisse, qui non nihil forte gloriosius de ea prædicavit, vel quia patria erat lingua, vel qnia ipse princeps in ejus facultate habebatur, vel quia cives suos eo magis in amorem studiumque ejus accendere volebat, quod nobis videtur. Neque ipse noster eum, quem diximus, aliorum a se dissensum, negare potest, Lib. III. ejusdem, *de finibus* operis; *etsi*, inquiens, *quod sæpe diximus, & quidem aliqua cum querela non Græcorum modo, sed etiam eorum, qui se Græcos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores*. Contra quæ paulo post is, ad quem CICERO hic loquitur, CATO disputans: *cum Zeno*, ait, *uteretur in lingua copiosa* (græca sc.) *factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua* (latina) *non conceditur, quamquam tu hanc copiosiorem etiam dicere soles*. Profecto non possumus non CATONI accedere in eo, quod nova facere nomina in *Latina* minus, quam in *Græca* concessum sit. Namque *Græcam* longe aptiorem putamus novis verbis, facili negotio, ex primitivis, uti formandis, ita facile intelligendis, hincque ab omni linguæ hujus non ignaro approbandis. Contra ea in *Romana* quam difficile fuerit, *Græcam* hac in re imitari, vel ex Latinis Scriptoribus ipsis discimus. Dabant hi, vernaculæ facundiæ studiosissimi, omnem quidem operam, ut non ex graio sermone aliqua mutuari cogerentur, sed frustra sæpe, cum aut inviti, quod nollent, facere, vel in domestico idiomate pluribus unam rem circumscribere verbis necesse haberent. De TIBERIO, qui IO. WILH. BERGERO, *naturalem orationis pulchritudinem explicanti*, morosus latinitatis exactor, elegantiæque in dicendo perdiligens nominatur, c. SVETONIUS in vita illius cap. LXXII. hæc tradit: *abstinuit sermone græco maxime in senatu, adeo quidem, ut monopolium nominaturus, prius veniam postularit*

quod

quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam in quodam decreto patrum, cum ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus & per ambitum verborum rem enunciandam. Plus tamen valuit inopia domesticorum, necessitasque peregrina adoptandi, quam vel TIBERII CÆSARIS mandatum. Namque *monopolii* vocem & ante & post id temporis a latinis usurpatam constat. De *monopolis* in senatu jam actum fuisse, idem SVETONIUS cap. XXX. testis est: post eum PLINIUS Lib. VIII. c. 37. aliique eo utuntur nomine, titulusque de *monopoliis* inscriptus Lib. IV. *Codicis Justinianei* legitur. C. I. CÆSAR græca plerumque circuitu exprimit latino, & *adyta*, ab ipso Marone aliisque frequentata, exponit per loca occulta ac remota templi, quo præter sacerdotes adire fas non est, L. III. de B. G. Attamen idem CÆSAR purioris venustæque latinitatis observantissimus *malaciam*, *harpagones*, *ballistas*, *ephippia*, *ephippiatos* equites, plura alia græcæ originis passim adhibet. Jam CICERONEM ipsum, eloquentiæ Romanæ principem, audiamus, qui Lib. III. *de bonorum & malorum finibus*: *equidem*, ait, *soleo etiam*, *quod uno græci*, *si aliter non possum*, *idem pluribus verbis exponere*, *& tamen puto concedi nobis oportere*, *ut græco verbo utamur*, *si quando minus occurret latinum*, *ne hoc ephippiis & acratophoris potius*, *quam proegmenis & apoproegmenis concedatur*. Quapropter ipse hic TULLIUS plurima a *Græcis* mutuata verba, iis præsertim in libris, in quibus philosophatur, usurpat, consiliique sui rationem loco, paulo ante citato, hanc reddit: *quamquam ea verba*, *quibus ex instituto veterum utimur pro Latinis*, *ut ipsa philosophia*, *ut rhethorica*, *dialectica*, *grammatica*, *geometria*, *musica*, *quamquam latine ea dici poterant*, *tamen*, *quoniam usu percepta sunt*, *nostra ducamus*. Noster quod *Græcis*, civitate latina jam donatis, pro *Latinis* utitur, recte omnino; sed quum affirmat, etiam latine ea dici potuisse, quid huic aevo opponi queat, supra monuimus, testimoniisque probavimus. Cognitio jam quod *Latina*, etiam cum maxime tir geret, opus tamen habuerit explere, quæ sibi deessent, vocibus *Græcis*; mirum jam nemini debet esse, eam hodie,

G

die, ex quo vernacula dudum esse desiit, ex scriptis tantum monumentis hauriendam, post tot naufragia, tot librorum jacturas, quas fecit, atque post spolia, quæ barbaris perpessa est seculis, carere nullo modo posse peregrinarum vocum auxilio, nisi in rerum, per domestica vocabula, expositione, multis verborum ambagibus res obscurare magis quam declarare velis.

§. X.

Ad *Gallicam* hodiernam jam progredi tempus, cui *Italicam* adjungimus valde affinem, utramque *Latinæ* filiam. De quibus idem fere adserere debemus, quod de matre. Neutiquam inficias imus, quod omnes scientias ac disciplinas, divinas æque ac humanas, & voce & scriptis egregie tractent suo, quod dicunt, idiomate; præsertim *Galli*, facundissima doctissimaque natio, ita, ut in eo omnia, quæ sciri possunt, felici successu discant & doceant, idque potissimum post indefessam *Academiæ Gallicæ* operam, suasu RICHELII Cardinalis, auctoritateque regia anno 1635. hunc ipsum in finem conditæ, uti in diplomate regio legitur, *pour rendre le langage Francois non seulement elegant, mais capable de traiter tous les arts & toutes les sciences*. Vid. *relation contenant l' histoire de l'Academie Francoise*. At vero nemo, his litteris vel leviter tinctus, ignorat, quod *Gallica & Italica* Græca themata non minus in subsidium vocare necesse habeant, quam latina, communis earum parens, ubi domestica desunt, in tractandis præcipue litterarum studiis. Namque quam plurimas rerum notiones aut per circuitum exprimunt, aut *Græcas*, mutata paululum terminatione adoptare coguntur, ac dicere, *cardialgie, apoplexie, pleuresie, logique, physique, pneumatique, theologie, astronomie, eclipse, zodiaque, diametre, geometrie, geographie, genealogie, hydrographie, chirurgien, & reliqua*.

§. XI.

Ad *Germanicam* ultimo accedimus, quæ primo nominanda fuerat loco. Cujus qui copiam negare audeat, vel

ejus

ejus plane ignarus, vel osor, ac prærogativæ, quæ ipsi debetur, invidens sit, oportet. Namque ubertatem quoque linguæ *Græcæ*, quam aliis superiorem in ea probavimus, non æquat sed superat *Germanica*, infinitæ vocabulorum ex primitivis, fere monosyllabicis, compositioni ac derivationi longe accommodatior; quod ex iis, quæ paulo post dicemus, clarius etiam fiet. Audimus sane legimusque hodie, (potuissent vero & olim, si suæ linguæ vim atque virtutes expendere voluissent nostrates) videmus, inquam, in vernacula lingua *Germanos* cunctas artes, omnesque scientias docere, discere, scriptisque tradere libris elegantissimis, ita quidem, ut dubites, utrum sit alia, quæ æque possit suis, seu domi natis, vocabulis cunctas omnis doctrinæ partes tractare. Quacunque in materia versentur, theologica, medica, philosophica, mathematica, militari, œconomica & reliquis, non desunt iis signa rerum, quæ ibi occurrunt, propria vel usu jam vulgata, vel pro rei præsentis indole, ex primitivis facile fingenda. Quæ nostri dicunt, Vernunftlehre, Naturlehre, Gottesgelahrtheit, Sternsehekunst, VVeltweisheit, Rechenkunst, Feldmeskunst, Erdbeschreibung, Baukunst, Kriegsbaukunst, Durchmesser, Winkelmesser, Erdbeben, Feuerzeichen, Nebensonne, Sonnenfinsternifs, Thierkreifs, Luftroehre, Lungenblutader, Gekroesdrusensaft, Seitenstechen, Kopfweh, Augenweh, *Logica*, *Physica*, *Theologia*, *Astronomia*, *Philosophia*, *Arithmetica*, *Geometria*, *Geographia*, *Architectura civilis*, *Architectura militaris*, *Diameter*, *Instrumentum Goniometricum*, *Terræ motus*, *Meteorum igneum*, *Parhelium*, *Solis defectus*, *Zodiacus*, *Arteria aspera*, *Vena pulmonaria*, *Succus pancreaticus*, *Pleuritis*, *Cephalalgia*, *Ophthalmia*, sexcenta alia, nec *Galli*, nec *Itali*, neque ipsi *Latini* singulis nominibus vernaculis exprimere possunt, sed aut ambitu describunt, aut ex *Græcia* accersunt rerum nomina, domi suæ non obvia.

§. XII.

Accedit, quod quotidie res antea incognitæ in lucem prodeunt, aut novæ rerum qualitates atque usus, studio

& experientiis hominum, deteguntur, quibus adeo nova quoque nomina debentur. Ergo quantumvis dives aliqua sit lingua, tamen pauper evadet brevi, si facto artium disciplinarumque augmento, notionibus rerum recens inventis nova signa non construuntur. Quapropter liceat & eruditis, & quarumvis artium magistris, ipsis præsertim novitatum inventoribus, si desint rebus vocabula, nova procudere, qua tamen fieri potest circumspectione, habitaque semper analogiæ ratione. *Si enim*, aït CICERO, *fines bonorum & malorum tradens*, libro III, *Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni?*

§. XIII.

Quæ licentia potissimum iis in linguis concedenda, in quibus consuetudinis est, non tam nova, quam ex horum, quæ usu jam vigent, apta conjunctione, rerum novarum condere signa, quæ adeo a quocunque ejus sermonis gnaro, vel sine interprete intelligi statim possunt, quia simplicium, e quibus componuntur, notiones jam perspectæ sunt. Cujusmodi linguas, ut ex supra dictis patet, *Græcam*, & magis adhuc *Germanicam* censere debemus. Ad reliquas quod attinet, quarum mentionem fecimus, res omnino difficilior hucusque credita, nec omnibus probata fuit. Quemadmodum vero nihilominus in quavis gente viris doctrina eminentibus singulis, & multo magis societatibus eorum, propter eum, qui tum adest, plurium consensum, ista libertas est permittenda in vernaculo minimum sermone; ita vix in peregrino hoc tentandum existimaverimus, nisi tali, qui compositorum, ex primitivis signis arbitrariæ formationi æque favet ac *Græcus* vel *Germanicus*, in quibus vel exteri tentare quid possunt. Sic ipsum CICERONEM, qui Romanus erat, in *Græco* etiam idiomate id fecisse constat, qui *Tuscul. Quæst.* L. III. *omnis innocentia*, inquit, *quæ apud græcos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλάβειαν*.

§. XIV.

§. XIV.

Quodsi ergo loqui aut scribere in lingua volumus, quam vocant mortuam, seu quæ genti vernacula hodie non est, v. gr. *latina*, nomenque rei in scriptis monumentis non reperiatur: consultius foret, opinamur, vel ex alia signum, si quod ei jam impressum est rei, adoptare atque pro genio linguæ aliter finitum in alteram transferre; vel ex *Græco*, communi onomatopoejæ fonte, haurire primitiva nomina, ex quibus concretam formare pro rei denotandæ indole queamus vocem. Quapropter in latinum quoque sermonem invectæ a philosophis, docendi caussa, voces ipseitatis, hæcceitatis, aseitatis aliæque, quum multis displiceant, probatis quippe autoribus non usitatæ, bene fortassis ageretur, si rei, apud *latinos* nomine carenti, ex ARISTOTELE aliisve *Græcis* scriptoribus nomen, si quod forte jam extet, quæratur, vel ex primitivis *Græcis* novum conderetur. Quo facto, nulla Philosophorum terminis obiici barbaries possit ab his, qui religiosius latini sermonis puritatem volunt custodiendam. Illam, quam diximus licentiam, permittit, hanc tamen cautionem præcipit ipsis etiam civibus romanis HORATIUS FLACCUS de A.P.v.48.seq.

Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis!
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta.

§. XV.

Nostram vero *Germanicam* peregrina nequaquam egere ope, manifestum est, utpote ex qua, velut nunquam exhauriendo fonte, infinita numero nova nomina derivari posse, experientia constat. Nam quum superiori tempore, insigniter aucta artium scientiarumque familia, *microscopia*, *telescopia*, *antliam pneumaticam*, *barometra*, *hygro-*

metra, *pyroboliam*, *pyrotechnicam*, aliaque quam plurima *Græcæ* originis nomina, tum in *Latinam*, tum *Gallicam* & *Italicam*, deficientibus vernaculis, ſuſcipere eruditi neceſſe habuerint, *Germani* econtrario hæc & alia ſignis indicant domeſticis, Vergröſſerungsglaß / Fernglaß / Luftpumpe / Luftmeſſer / Brennſpiegel / Gehoertrichter / Sprachrohr / Wetterſager / Wetterwage / Wetterglaß / Luftdruckwerck / Geſchützkunſt / Feuerwerkerkunſt / Microſcopium, Teleſcopium, Antlia pneumatica, Manometrum, Speculum uſtorium, Infundibulum acuſticum, Tuba ſtentorea, Hygroſcopium, Barometrum, Thermometrum, Inſtrumentum ad aerem comprimendum inſerviens, Pyrobolia, Pyrotechnia, cetera, quæ cum recens inventis rebus ſtatim nata ſunt, hodieve adhuc proferuntur nova verba.

§. XVI.

Secunda perfectioris linguæ virtus in eo continetur, ut clare atque perſpicue res, quarum ſigna ſunt vocabula, repræſentet. Claritas vero atque perſpicuitas illa duabus maxime a cauſſis pendet: Prima, ſi una res uno etiam verbo, non pluribus indicetur, quia ſi per ambages ſemper enuncianda eſt, non ſolum ipſa objecti notio, quæ repræſentatur ſæpe obſcurior fit, ſed in nexu cum aliis poſita, contextum etiam multitudine vocabulorum obruit atque intricat. Quam ob cauſſam in Philoſophica rerum tractatione, ubi non ornatum, ſed idearum claritatem ſequimur, viri eruditi non abhorruerunt voces, barbariei vitio ab aliis damnatas, quod ſuccincte ac præciſe, abſque verborum ambitu, rem exprimere mallent. At uberius hoc non perſequimur, quia jam §8 & 14 quædam huc pertinentia diximus. Maxime autem ſermonis perſpicuitatem juvant vocabula eſſentialiter ſignificantia, h. e. quæ rerum eſſentias vel attributa manifeſtant, quæque duorum hic ponimus generum. Primum, ſi ſit naturalis vocum cum rebus ſignatis convenientia; dein, ſi vocabula ſint quidem ex inſtituto humano profecta, ipſas tamen rerum qualitates ac naturam nobis exponant per ſigna primitiva, e quibus componuntur.

§. XVII.

§. XVII.

Prioris generis perfectissimam linguam invenisse sibi visi sunt *Hebræam* nonnulli viri celeberrimi, FRANC. MERCUR. v. HELLMONT in *Alphabeti vere naturalis Hebraici delineatione*: Jo: CHRISTOPH. VVAGENSEIL in *synopsi historiæ universalis*: CASP. NEUMANN in *Genesi linguæ sanctæ*, & in *clavi domus Heber*: qui hanc, quam laudant vim, rerum naturaliter significandarum *Hebrææ* tribuunt linguæ, ita quidem ut non minus ipsa primitiva signa, seu litteras, quam derivata vocabula, cum rerum natura convenire, hominique connata arbitrentur. Id quod paucis tamen persuadere potuerunt. Ipsos equidem litterarum sonos naturales hominique connatos facile largimur; sed vero naturalem cum rebus hujus universi nexum habere, cumque harum qualitatibus convenire litterarum vel sonos vel figuras animo complecti haud possumus. Neque etiam est, quod nobis opponas voces eas, quæ sono, quem res nonnullæ edunt, quodammodo respondent. Primo enim non nisi pauca ejusmodi esse possunt, post non magis in Hebræa quam aliis reperiuntur, deinceps nec ipsam rei naturam declarant, sed sonum modo, neque hunc satis clare aut certo, cum a diversis populis diverso is concipiatur modo, v. g. רעם, βροντή, TONITRU, tuono, *tonnère*, Donner. FRAGOR, fracasso, *fracas*, Knall. ὀλολύζειν ULULARE, urlare, Heulen. LATRARE, abbajare, *abbayer*, Bellen, aliæque, quæ nihil fere cum rerum natura commune habent, præter accidentale soni alicujus confusi & indistincti; hinc parum etiam ad linguam perfectissimam & quidem naturalem faciunt. Placent quæ JAC. PERIZONIUS hunc in modum disserit: *in primitiva lingua facile largior commoda vocabula animalibus ab Adamo imposita, nec tamen ita, ut ipso sono, sed ut derivatione, & proinde significatione ex aliis jam vocabulis petita, naturam eorum aliquo modo declaraverint. Ceterum sic tamen essent, non φύσει, sed θέσει, seu non ab natura, sed ex instituto;* not. ad SANCTII *minervam*, Lib. IV. c. 14. Et profecto, si in rerum natura esset lingua naturalis, unde, quæso fit, ut surdi adultio-

res facti, quum ab usu loquelæ libero ac naturali non per imitationem aliorum avocentur, cur, inquam, *Hebræam*, vel quæcunque naturalis sit, non loquantur ultro omnes.

§. XVIII.

Sed videamus jam, quem naturaliter cum rebus ipsis non habent nexum verba, utrum ab instituto hominum habere ita quidem possint, ut rerum proprietates indicent. Id quidem est, quod omnino affirmamus, atque ex eo aliam perfectiorem, aliam perfectissimam nominamus, quo magis id commodi præstat, aut minus.

§. XIX.

Perfectissima lingua est, in qua prima etiam elementa, simplicissimi nimirum vocis humanæ soni, sive litteræ constituuntur notionum simplicium, aut quæ in alias resolui ab intellectu nostro nequeunt, signa primitiva. Quo facto, porro construi possunt ex istis litteris, quatenus notionum simplicium signa sunt, vocabula essentialiter significantia, hoc est, quorum singulæ litteræ singulis rei, quam repræsentare volumus, characteribus, quibus illa ab omnibus aliis rebus discernitur, respondeant. Quum igitur ejusmodi litterarum in una voce conjunctio, rei characteres ipsamque ejus naturam manifestet, lingua, quæ hujusmodi constat verbis, appellari jure meritoque suo potest *philosophica*; item *universalis*, quia omnes cunctarum nationum ac linguarum homines, cognito signorum primitivorum, quæ perpauca forent, significatu, intelligere facillime se invicem possent, ut opus non haberent, particularem alius gentis propriam, multo cum laboris & temporis impendio, ediscere. Hinc *perfectissimæ* quoque nomine dignam hanc esse, nemo non videt; tum quod cuncta, quæ in illa occurrunt, ipsaque etiam ejus prima elementa, ad finem perfectissimum, qui est, ut homo distincte non minus per eam cogitet, quam animi sui sensa aliis prodat, omnium optime conspirant; tum, quod rerum abdita interioraque recludens, scientiarum etiam vicem subire queat, instillando animis, per ipsa

ipsa nomina, rerum distinctam & completam notionem. Si hanc quæras, ubi sit gentium, quam tantopere laudavimus (neque tamen satis laudare possumus) in desideratis eam hactenus esse, fatemur. Quod vero, si eruditi tantæ rei operam suam dicare velint, esse omnino possit, nemo inficiatus fuerit, qui modum, quo existere queat, secum reputet. Posse enim rerum notionibus simplicioribus simplices vocis determinationes, seu litteras, tribui tanquam signa, quis negaverit? jam vero, cognitis rei alicujus, quæ ab ipsa involvuntur, notionibus simplicioribus, harum signa, nempe litteræ, si inter se decenti modo copulentur, in promtu esset vocabulum, quod per singulas suas litteras, singulas rei proprietates ac charactêres, adeoque essentialiter significaret; ac hujusmodi vocabulorum complexus foret ea, quam desideramus, lingua *philosophica*, *universalis*, *perfectissimaque*. Quo de argumento legi meretur, præter GOTFR. VVILH. LEIBNIZIUM, JO: PET. REUSCHIUS, *System. Logic.* c. 4. §. 192. seq.

§. XX.

Aliquam hujus quasi imaginem deprehendere passim licet in reliquis, quæ sunt, linguis. Habent enim certas vel litteras, vel syllabas, quæ vocabulis adjunctæ, horum significationem, qua jam gaudent, varie determinant, atque alterant; dum rerum, voce indicatarum, aut unitatem aut pluralitatem, genus diversum, comparativarum qualitatum diversos gradus; in verbis actionem aut passionem, præsentem, futuram, præteritam, diversosque agendi & patiendi modos, imperando, permittendo, optando; varias etiam vocum alius ad aliam relationes, ut in casibus nominum; itemque ejus, quod verbum dicit, contrarium, arguere consueverunt. Quæ singula hic recensere, aut diversitatem eorum diversis in linguis ostendere, nimis foret longum. Attamen in usu linguarum, vel intelligendarum vel loquendarum, sedulo ad ea animum attendere fas est. Namque v. g. in *Hebræa* lingua negligendum haud est punctum, quod ventri mediæ radicalis impressum in *Piel* & *Pual*, illic actionis, hic passionis intensionem ac frequentationem innuit; sicut littera

ra ה radicalibus præmissa caussam moralem ac impulsivam, actionis quidem in *Hiphil*, & passionis in *Hophal*; Syllaba הת vero præposita actionem reciprocam, seu in ipsum, qui agit, reflexam, litteraque (י) futuritionem denotat. Ad quæ, qui non respexerit, nominis Dei essentialis יהוה vim non assequetur, quam S. JOHANNES *Apocal.* I. v. 4-8. hunc in modum exponit, *ὁ ὢν; καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*; quæ triplicis temporis distinctio, eminenti ratione, de Dei absoluta existentia, ceterorum entium caussa, per litteras & puncta nominis יהוה indicatur. De quo videatur JO: ANDR. DANZIUS *in præfat. Paradigm. Hebræor.* Nec minus in *Græco* idiomate attendendum v. g. utrum *α*, vocem incipiens, ad ipsum pertineat thema, an vero aduentitium sit, quo casu, vocem ea, quam habet alias, significatione exuit atque privat; cui respondet Latinorum, *in* un nostras, Italicum *S* privativum, & Gallorum *des* & *mes*, v. g. *ἄλογος*, irrationalis, unvernunftig: Sfortunato unglucklich, svestire auskleiden: desarmer entwafnen, desunion Uneinigkeit, mesintelligence Missverstaendniss.

§. XXI.

Præter litteras ac syllabas, quæ seorsim sumtæ nihil dicunt, integra perfectioris notæ vocabula invenias, quæ rerum signatarum naturam & indolem, per primitivorum, a quibus derivantur aut componuntur, notiones manifestant; quorum quo plenior est aliqua lingua, eo & præstantior atque perfectior. Plena præ multis aliis est *Græca*, multo autem magis *Germanica*. Perfectiorum hujusmodi dictionum vim atque præstantiam uno alterove videamus exemplo. *Græca* vox *θεάνθρωπος*, divinæ humanæque naturæ, in salvatoris persona, unionem egregie docet. *μετάνοια*, mentem animumque peccatoris mutari vult: *πλεονεξία*, avaritiæ characterem, plus habendi cupidinem, prodit. *αὐτάρκεια*, frugalitatem, per eum animi affectum declarat, quo sua sorte contentus est; alia. *Germanicæ* autem palmas haud ægre dabit, quisquis ejus ingenium norit. In hac enim quis enumerare possit perfectiora substantiarum nomina, quæ ex duorum pluriumve con-

concretione, horum notiones conjunctim in aliqua tertia complectuntur, ut VVaſſerquelle, Kirſchblute, Glaubenſgenoſs, Blutfreunſchaft, Ehrgeiz, Heldenthat, Regenwaſſer, Zwerchfellsblutader, *Scaturigo aquarum*, *Flos Ceraſinus*, *Fidei ſocius*, *Conſanguinitas*, *Ambitio*, *Facinus Heroicum*, *Aqua pluvia*, *Diaphragnatis Vena*. Adjectiva, ſubſtantivis jam præfixa, adjungunt iis characterem novum, quo notio generalis in ſpecialem abit, v. g. Freyſtadt, Vollwort, Groſſmuth, Selbſtbetrug, Eigenliebe, VVeiſsbeckerhandwerck, *Aſylum*, *Auctoritas*, *Magnanimitas*, *Sui ipſius deceptio*, *Philautia*, *Ars piſtoria*; jam iiſdem ſuffixa, producunt qualitates, per ſubſtantiva, cum quibus cohærent, a qualitatibus homogeneis diſcretas. Himmelblau, Sonnenklar, Netzfoermig, Sinnreich, Brodlos, Handfeſt, Troſtvoll, Lufftleer, Ehrenwerth, *Cæruleus*, *Sole clarior*, *Retis formam habens*, *Ingenioſus*, *victus acquirendi impotens*, *Manu expeditus*, *Solatii plenus*, *Aere vacuus*, *Honore dignus*. Sic de vocis fertig, *promtus*, quatenus cum aliis coaleſcit, ſignificantiori notione CASP. STIELERUS, dictus der Spate, quem inſcripſit librum, der buſsfertige Sunder, illuſtri dicans AHASV. FRITSCHIO, inter alia inquit, daſs kein recht gleichgultiges verſtandfertiges VVort in den andern Sprachen zu finden, welches das VVort buſsfertig, ohne Beyſatz rechtſchaffen auſdrucken moege. Unſere werthe Mutterſprache, pergit ille, kan in dieſem einigen VVorte, fertig, ihre uberreiche und unvergleichliche Reumlich-Red- und VVechſelfertigkeit ſehen laſſen, und die gantze VVelt gleichſam zum Streit einiger Beſchaemung oder Niederlage unbeſorgt, kuhn-muth-und heldenfertig ausfordern, *nullam in aliis linguis reperiri ſynonimicam vocem, quæ uno vocabulo hominem ad pœnitentiam agendam accinctum exprimat, uti apud Germanos fieri ſolet. Noſtra vernacula, pergit ille, in hoc unico vocabulo, Fertig, paratus, abundantiam & varietatem præclaram exhibere, omneſque alias linguas ad certamen intrepide provocare poteſt*, prolatiſque in medium, horum vocabulorum, ex magna copia, ultra quinquaginta, negat vel Latinam vel Gallicam vel Italicam vel ipſam Græcam habere, quo illorum ſenſus atque emphaſis exprimi tam preſſe & ſine ambitu queat. Nec

mi-

minus nomina quæcunque, cum præpositionibus adverbiisque copulata, notiones novas, ex primitivis facile intelligendas, efficiunt, ut VViederspiel, Vorbericht, Nachtisch, rechtglaeubig, unvollstaendig, Contrarium, Præfamen, Mensa secunda, Orthodoxus, incompletus. Agendi patiendive notionum, cum nominibus vel particulis in unum coeuntium, e quibus concretæ ideæ nullo negotio concipi possunt, numerum jam inire non audemus, v. g. Scheidekunst, Schiefsscharte, rathschlagen, splitterichten, bewerkstelligen, einverleiben, entschuldigen, *Chemia*, *Ostium jaculatorium*, *Deliberare*, *Obtrectari*, *Efficere*, *incorporare*, *excusare*, illud etiam nunc tacemus, hæc & omnia reliqua verba, si infinito modo articulus nominum præmittatur, horum etiam naturam inducere, per casus adeo flectenda, v. g. das VVahrsagen, des, dem *Divinatio*, *Divinationis*, *Divinationi*, &c. das Zeigelstreichen, des, dem *Laterum coctio*, *Laterum coctionis*, *Laterum coctioni*, &c. Sed quo melius intelligatur, quid discriminis sit inter celebratissimas, quas supra memoravimus Europæas linguas, quæve alteri antecellat vocabulorum, clare distincteque sive essentialiter significantium, copia, liceat jam nobis in medium proferre exemplum, ut ex uno reliqua nosse possis omnia. Fac aliquem, qui vini culturam nesciat, terminisque eo spectantibus haud sit assuetus, ceterum vulgares alios *Germanici*, *Græci*, *Latini*, *Italici*, *Gallici* idiomatis intelligat, si audiat legatve aliquando vocabula ad vitium satum vinique usum pertinentia, in qua quæso harum linguarum eum putas, tum citius intellecturum vel sine interprete, tum altius memoriæ affixurum ista. Audiamus ipsum *Germanum*, *Græcum*, *Romanum*, *Italum*, *Gallum*, quemlibet suo idiomate rem vinariam designantem.

VVein, *οἶνος*, VINUM, vino, *vin*.
VVeinberg, *ἀμπελών*, VINEA, vigna, *vigne*.
VVeinstock, *ἄμπελος*, VITIS, vite, *sep de vigne*.
VVeinrebe, *κλῆμα*, PALMES, palmite, *sarment*.
VVeinlaub, *ὄιναρον*, PAMPINUS, pampino, *pampre*.
VVeinblat, *οἰνηρὸν φύλλον*, FOLIUM VITIGENUM, foglio di vite, *feuille de vigne*.

VVein-

VVeingaeblein, ἕλιξ ἀμπέλου, VITICULUM, viticchio, *tenon de vigne*.

VVeinblute, οἰνάνθη, FLOS VITIGENUS, fiore di vite, *fleur de vigne*.

VVeinbeer, κόκκος σταφυλῆς, ACINUS, grano d'uva, *grain de raisin*.

VVeinbeerkoernlein, γίγαρτον, GRANUM VINACEUM, vinacciuolo, *pepin de raisin*.

VVeinbeerhulse, στέμφυλον, FOLLICULUS VINACEUS, vinaccia, *marc de raisins*.

VVeintraube, σταφυλή, UVA, uva, *raisin*.

VVeintraubenkamm, βότρυς, RACEMUS, grappo d'uva, *grappe de raisins*.

VVeinpfal, οἴνοτρος, STATUMEN VITIS, palo da vigna, *echalas*.

VVeingelaender, στιχοὶ ἀμπέλων, ANTES VITIUM, spalliera di vigna, *espalier de vigne*.

VVeinlaube, ὄρχατος ἀμπέλων, PERGULA VITIGENA, pergola di vite, *treille de vignes*.

VVeinbau, ἀμπελουργία, CULTUS VINEATICUS, coltura delle vigne, *cultivement de vignes*.

VVeingaertner, ἀμπελουργός, VINITOR, vignaruolo, *vigneron*.

VVeinhacke, σκαφεῖον ἀμπελουργικὸν, PASTINUM VINITORIUM, sappa di vignaruolo, *houe de vigneron*.

VVeinmesser, δρέπανον ἀμπελουργικὸν, FALX VINITORIA, falce di vignaruolo, *faucillon de vigneron*.

VVeinlese, τρυγητὸς, VINDEMIA, vindemmia, *vendange*.

VVeinleser, τρυγητὴς, VINDEMIATOR, vindemmiatore, *vendangeur*.

VVeinbeerbutte, κάλαθος τρυγητικός, QUALUS VINDEMIATORIUS, bigoncia, *botte a porter la vendange*.

VVeinkaelter, ληνὸς τρυγητικός, TORCULAR VINARIUM, torchio d'uve, *pressoir de raisins*.

VVeinbottig, ληνὸς οἰνηρός, LACUS VINARIUS, tinaccio da vino, *cuve a vin*.

Weinkeller, οἰνεὼν, CELLA VINARIA, cantina di vino, *cave au vin*.

VVeinfass, πίθος οἰνηρός, DOLIUM VINARIUM, botte da vino, *tonneau a vin*.

VVein-

VVeinschlauch, ἀσκὸς οἰνηρός, UTER VINARIUS, otre da vino, *outre a vin.*

VVeingefaess, σκεῦος οἰνηρὸν, VAS VINARIUM, vaso da vino, *vaisseau a vin.*

VVeinhahn, ἐπιστόμιον πίθου οἰνοφόρου, EPISTOMIUM DOLII VINARII, cocchiume della botte di vino, *robinet d'un tonneau de vin.*

VVeinglass, οἰνόφορος κύλιξ, CALIX VITREUS VINO BIBENDO DESTINATUS, bicchiere da vino, *verre a vin.*

VVeinflasche, οἰνοχοὴ, SERIOLA, fiasco da vino, *bouteille a vin.*

VVeintrinker, οἰνοπότης, VINIPOTOR, bevitore di vino, *beuveur de vin.*

VVeinhauss, οἰνοπώλιον, TABERNA VINARIA, taverna da vino, *cabaret au vin.*

VVeinmarkt, οἰνοπώλιον, FORUM VINARIUM, mercato da vino, *marche au vin.*

VVeinmeet, οἰνόμελι, MULSUM, vino melato, *vin mielle.*

Sed sufficiat, hæc pauca speciminis caussa produxisse; nimis enim multa sunt, quæ restant perfectiora rei vinariæ vocabula in lingua nostrate, quam ut omnibus, per diversa idiomata enarrandis, immorari queamus. De reliquis VVeinzeichen, VVeinzoll, VVeinheber, VVeingebirg, VVeinkoster, VVeinkaeuffer, VVeinessig, VVeinhefen, VVeinkahn, VVeinsaeure, VVeingeschmack, VVeinbruhe, VVeinsuppe, VVeinkalteschale, VVeinmuss, VVeinmaass, VVeinbergsrecht, VVeinbergshuterlohn, VVeinnbergshauss, *Hedera*, *Vectigal vinarium*, *Sipho*, *Colles vineariæ*, *Vini Gustator*, *Vini Emtor*, *Acetum vinale*, *Fex Vini*, *Mucor Vini*, *Vinositas*, *Sapor vinosus*, *Oenogarum*, *Jus vinarium*, *Intrita pane e vino*, *Vini Mensura*, *Jus decimarum vini*, *Merces Custodis Vineæ*, *Casa in Vinea exstructa*, & converso ordine Firnewein, Ehrenwein, Flaschenwein, Lagerwein, Fullwein, Kraeutervvein, Kirschwein, Muscatellerwein, Moselwein, Speissewein, *Vinum annotinum*, *Vinum honorarium*, *Vinum lagenis conditum*, *Vinum per multum temporis spatium se conservans*, *Vinum ad innovandum vetus aptum*, *Vi-*

Vinum medicatum, *Vinum ex Ceraſis confectum*, *Vinum Apianum*, *Vinum Moſellanum*, *Vinum cibarium*, aliiſque quam plurimis, quorum vel ducenta adhuc memorare poſſemus, ſi eſſet otium, viderint exteræ nationes, utrum Germanicæ linguæ vel copiam & ubertatem, vel in notando perſpicuitatem ſuo æquipare idiomate poſſint, an vero malint admirari tantum, quod imitari nequeant.

§. XXII.

Quemadmodum autem ex modo dictis obſcurum eſſe nequit, compoſitas voces, quarum copia abundare vidimus *Græcam*, ſed maxime *Germanicam*, eo quod claras ſuppeditant ideas, magnam perfectionis laudem mereri; ita hoc plenius etiam intelligetur, ſi obſervaverimus, quod earum vocum, ex quibus compoſitum eſt vocabulum, altera ſiſtat notionis compoſitæ ideam principem, altera ſecundariam & acceſſoriam, quæ iſtam determinat, ſive quod idem eſt, una genus, altera differentiam ſpecificam exhibeat. Quæ quum ad definitionem rei, ab aliis omnibus diſtinguendæ, ſufficiant, manifeſtum ſit, per hujuſmodi vocabula claras diſtinctaſque, ſuo modo, rerum ideas repræſentari, linguæque haud exiguam ab iis conciliari perfectionem. Quæ major adhuc, ſi in conjungendo certus & conſtans notioni genericæ itemque ſpecificæ, ſuus cuique, adſignetur locus, ut vel ex ipſo, quem tuetur vox loco, ſciri queat, quæ generis quæ differentiæ notam habeat.

§. XXIII.

Germanica quidem hac, quam commendamus, pollet virtute, *Græca* non item. Nam *αὐτοχειρία* Selbſtmort, & *φιλαυτία* Selbſtliebe, differentiam, quæ inter homicidium, itemque inter amorem hic conſtituitur, habet in voce *αὐτὸς* ſelbſt, quam *Germani* alteri præmittunt ſemper, *Græci* vero poſtponunt etiam indifferenter: & quem nos impietatis poſtulamus Schadenfroh, hunc *Græci* *ἐπιχαιρέκακον* & converſim *κακόχαρτον* utroque poſitu damnant, notione *τοῦ χαίροντος*, quæ princeps hic eſt, primo æque

ac

ac secundo loco posita. Scilicet composita *Germanici* idiomatis vocabula omnia, per notionem principalem finiunt, incipiunt per accessoriam, quarum illa genus, hæc differentiam compositæ indicat; adeo quidem, ut eædem voces situm in compositione permutantes, convertant ipsum etiam sensum, atque diversum ab illo ponant. Ex quo *Germanica* lingua novum, idque amplissimum, adepta ornamentum, & copiæ & evidentiæ gloria alias longe antecellit. Faciant periculum vel *Græci*, vel *Latini*, vel *Galli*, vel *Itali*, si qui suam cum nostrate contendere gestiant linguam, experianturque, num æque succincte concinne ac perspicue, ope duarum vocum, quatuor diversas notiones, proprias tamen exprimere absque confusione & homonymiæ vitio valeant. v. g. ex VVein & Land, enatæ VVeinland & Landwein, *Regio vitifera*, *Vinum indigena*, exhibent cum nomine ipso etiam definitionem hic *vini* indigenæ, illic *regionis* vitium proventu inclutæ. VVeinlager ponit genus das Lager, differentiam hujus a reliquis homogeniis den VVein in eo collocatum: versa vice Lagerwein ponit genus den VVein, & differentiam hujus a reliquis das Lager, in quo servatur: Sic etiam VVeinprobe & Probwein: VVeinstein & Steinwein: Meersalz & Saltzmeer: VVasserbrunn & Brunnwasser: Grassgarten & Gartengrass: Zaunpfahl: & Pfahlzaun: Gartenlust & Lustgarten: VVasserquelle & Quellwasser. Apfelholz & Holzapfel: Dachziegel & Ziegeldach: Steinbruch, & Bruchstein: Kohlblat & Blatkohl: Nelkensaamen & Saamennelken: Flossholtz & Holtzflosse, *Vinum ad cujus normam aliud examinatur*, *Vinum speciminis gratia datum*, *Tartarus*, *Vinum in regione Herbipolitana nascens: Sal marinum*, *&* *Mare mortuum*, *Fons*, *&* *Aqua ex fonte hausta*; *hortus herbosus &* *Gramen in horto nascens*: *Palus & Vallum palis munitum*: *Hortorum deliciæ & Adonidis Hortus*: *Scatebra fontis & Aqua ex scaturigine hausta*. *Pomi lignum & Pomum silvestre*: *Tegula & Tectum ex tegulis confectum*: *Lapicidina & læmentum*: *Brasicæ folia & Brasica levis*: *Caryophylla ad semen producendum inservientia & Caryophyllorum semen*: *Navis codicaria & Lignum hisce navibus advectum*, aliaque hujus indolis quam plurima. Quam commoditatem nec in

Græco ſermone, vocum compoſitarum atque eſſentialiter ſignificantium alias refertiſſimo, obſervare meminimus quo fit, ut non ſolum paucioribus verbis plura notemus objecta, ſed id etiam clarius multo & citra homonymicam implicationem.

§. XXIV.

Denique in linguæ perfectionibus, promtitudinem ponimus, tam, ut eam facile intelligere & diſcere, quam loqui expedite queamus. Ad utrumque, plurimum facit litterarum vocalium ac conſonantium in cunctis ſyllabis viciſſitudo, item vocabulorum brevitas, & denique eorundem liberior in ſermonis uſu conſociatio. Quæ ſingula paucis adhuc perſequemur.

§. XXV.

Quemadmodum conſonantes, quia non per ſe, ſed a vocalibus animatæ, demum ſonant, id nominis indepti ſunt, vocalium vero plures, immediate ſe conſequentes, pronunciando difficultatem & audiendo κακοφωνίαν pariunt; ita exſulet e perfectiori lingua, conſonantium vel vocalium concurſus, contra vero perpetua omnium litterarum diverſi ſoni ſit alternatio. Eminet hic *Hebræus* ſermo, in quo alternis vicibus ſe excipiunt litteræ ſonantes mutæque, ita, ut harum nulla ſine ſocia illarum aliqua, vel ejus vicario, ſchva ponatur. *Græci*, ut mederentur idiomatis ſui vitio, adhibebant ſatis quidem opportune vocalium contractionem, diſtractionem, apoſtrophum, & (ν) ἐφελκυστικόν: nec tamen his mediis ſuſtulerunt prorſus, quæ ingrata auribus eſſe, ipſi intelligebant. *Latini* in miſcendis eleganter litteris, feliciores erant: niſi quod crebriorem paullo litteræ M uſum, quæ in omni nomine quartum ſingularis caſum finit, in verbis autem potiſſimum primæ utriuſque numeri perſonæ formandæ inſeruit, QUINCTILIANUM damnare audimus, *qui* L. XII. c. 10. *quid*, ait, *quod pleraque nos illa mugiente littera* M *claudimus*, *qua nullum græcum verbum cadit*. Ex hodiernis *Polonicam* præſertim a nimio conſonantium concurſu, admo-

dum difficilem & aſperam eſſe conſtat. Reliquæ, quarum hic ſæpe meminimus, linguæ ſonos variant ſatis bene, niſi paucula quæpiam, non magni momenti, excipias, quæ brevitatis ſtudio jam prætermittimus.

§ XXVI.

Haud mediocre eſt vel ornamentum vel commodum, quod præſtat ſermoni, vocum primitivarum brevitas. Verba enim ſunt rerum ſigna, quæ, quo expeditius depromuntur, quove promtius res ſignatas in mentem revocant, eo ſunt cenſenda abſolutiora. Qua in re antecellit *Hebræa*, ipſi vero *Germanica*, principem hic tenens locum. Illius quippe voces ſunt diſſyllabæ, hujus vero primitivæ fere omnes monoſyllabæ. Quod radices linguæ *Hebrææ* tribus modo conſtent conſonantibus, quæ cum ſubſcriptis vocalibus binas efficiunt ſyllabas, non ignorant ſanctæ & perantiquæ hujus linguæ cultores. In noſtrate autem tantam vides monoſyllabicorum vim, ut eorum inire numerum adgreſſus, ubi incipiendum ubi finiendum ſit, non videas. Non ſolum enim ſubſtantiarum & qualitatum nomina, item adverbia atque conjunctiones, verum etiam verba in ſecunda ſingulari imperativi, quæ radix eſt, tantum non omnia, non niſi unica conſtant ſyllaba. Exempla ut proferamus, non opus videtur eſſe, quum, quocunque oculos vel animum vertas, occurrant gregatim. Monoſyllaborum noſtratium 3000. numerat BERNH. a MOLINCROT in diſſertatione *de natura & uſu litterarum*; vid. FRID. ANDR. HALLBAVERI verbeſſerte teutſche Oratorie, p. 10. Hæc tamen ipſa tot monoſyllaba, inquies, nonne ſermoni monotoniam & cacophoniam affricant? minime vero gentium. Etenim quam eleganter, ex *Germanicæ* linguæ ingenio, plura in unam coaleſcant vocem polyſyllabicam, ex iis, quæ ſupra diximus, apparet luculenter Hæ igitur cum monoſyllabis alternantes, dici vix poteſt, quantum orationi concilient cum varietate leporem. Iſta autem vocum brevitas, id præterea commodi affert, ut non duæ tres aut quatuor modo, ſed plures primitivæ concreſcere in unam vocem, abſque nimiæ prolixitatis vitio, queant: quo ipſo noſtratem linguam

aliis

aliis & locupletiorem & significantiorem, adeoque ad tractandas quoque scientias cunctas, longe aptissimam reddunt: ex pluribus composita sunt Oberamtshauptmann, Oberlandjaegermeister, Reichstagsversammlung, *Praefectus provinciae cujusdam primarius*, *Venatorum Praefectus*, *Comitia Imperii*, alia, in LAURENT. HEISTERI *compendio anatomico* plura videbis & nova & essentialiter significantia, ut: Gallenblasengang, Ruckmarcksnerve, Lufftroehrzweigsblutader, *Meatus fellis in vesicam*, *Nervus ex medulla spinali ortus*, *Vena in Arteria aspera existens*, centena alia etiam alibi.

§. XXVII.

Postremo inter linguarum virtutes referimus liberiorem singularum dictionum in loquendo consociationem, atque constructionis ordinem. Non enim uno eodemque semper ordine res cogitamus; ergo nec eodem semper voces, quae cogitationum sunt signa, proferendae erant. Scilicet mens nostra sibi res hujus universi repraesentat, jam eo, quo naturaliter existunt ordine, primo caussam, dein effectum, & sic porro: jam versa vice cogitat primo effectum, a quo ad caussam ejus transit: jam in ea serie contemplatur, qua sistunt se sensibus nostris, aut qua ab idearum associatione ad eas ducimur: alio denique modo vagatur mens, ab irae, amoris, odii aliisque affectibus commota. At vero cogitationum conditionem, quo magis sequitur sermo; eo est perfectior, & tum ad liberius meditandum, tum ad expeditius animi sensa aliis declaranda, accommodatior. Hac praestantia caret, uti Gallica atque Italica, ita & nostras, cum plurimis aliis, in quibus ordo verborum, inter se contexendorum, adstrictior est, ad certas regulas, per usum introductas, alligatus. Gaudent vero hac praerogativa *Graeci* & *Latini*. Liberrime hos loqui audimus, eo ordine res enuntiantes, quo ipsis videtur, jam naturae nexum, jam animi impetum, sequuti. v. g. Joh. III, 16. ὅυτω ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, *ita dilexit Deus mundum*; decies sexies transponi salvo genio utriusque linguae potest, una eademque sententia, multiplici tamen cum emphasi, prouti attentius

admiramur ipsum dilectionis affectum, jam hujus intensionem οὕτω, jam amantem Deum, jam qui dilectione indignus erat, mundum. *Germani* vero & *Galli* mutato paulisper ordine ipsum pervertunt sensum, also hat die Welt GOtt geliebet, *le monde a tellement aime Dieu*. Quam in rem ingeniose Abbas Verdunensis DANETIUS, *on peut dire*, inquit, *que le latin est un langage de gens passionnes, qui se pressent d'exprimer ce qu'ils sentent d'avantage, et que le Francois est un langage de Philosophes tranquilles, qui tend a faire connoitre les choses telles qu'elles sont en effet, & dans un ordre tout à fait naturel.* Dictionaire Francois & Latin.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

D E

RECTA LINGUARUM

DISCENDARUM RATIONE

IN LUCEM EDITA

A

M. GEORGIO CHRISTIANO

HALLBAVERO

SCHOLÆ SENATORIÆ JENENSIS RECTORE.







DE
RECTA LINGUARUM
DISCENDARUM RATIONE
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

§. I.



Inguæ nomine nobis jam venit complexus earum vocum, quæ rerum hujus universi ac cogitationum nostrarum de iis, signa sunt. Quoniam autem hæc naturalem cum rebus non habent nexum, sed ab hominum arbitrio, quod varium esse potest, profecta, alia apud alios esse possint, ratio diversitatis linguarum apparet; qua de re uberius locuti sumus *dissertatione de Linguarum origine & diversitatis earum caussis*. Ex quo simul & illud fluit, hominum nulli ejusmodi linguam esse connatam, veruntamen, quum intellectu gaudeat & organis, edendæ voci articulatæ aptis, eum posse ab iis, qui loquuntur, loqui discere.

§. II.

Linguam vero discere, est operam dare vocibus, quibus alii homines exprimunt cogitationes suas, vel intelligendis tantum, vel adhibendis etiam ad sua animi sensa indicanda; aut, ut breviores simus, est imprimere menti, quid quælibet vox in aliqua lingua significet.

§. III.

Ad diſcendam autem linguarum aliquam naturali lege iiſdem tenemur ex cauſſis, ob quas Deus organa facultatemque loquendi nobis eſt largitus, nimirum, ut ſermonis ope non tantum ſocialem inter nos coleremus vitam, verum etiam qua pollemus, ratione facultateque cognoſcendi uteremur ad parandam rerum hujus univerſi, atque ex iis conditoris benigniſſimi cognitionem, noſtramque adeo felicitatem: quo de fine egimus *diſſ. de variis Linguarum perfectionibus* §. 4. 5.

§. IV.

Quum vero rei uni indicandæ unum ſufficiat ſignum, una etiam lingua, quæ ſingularum rerum ſingula contineat ſigna, homini ſufficere omnino poteſt, ad cogitandum ac loquendum de rebus quibuſcunque. Multi etiam fuere populi, qui non niſi ſuæ ſeu vernaculæ gnari, multa floruerunt felicitate, ac eruditionis quoque laude inclaruerunt, ut *Græci*, ob id ipſum meliori ſorte uſi, quod domeſtica philoſopharentur in lingua. Namque, ut eruditionis pars aut requiſitum abſolute neceſſarium ſit plurium linguarum cognitio, quod nonnulli putent, tantum abeſt, ut potius meliori doctrinæ magno ſit impedimento, eo quod plurimum temporis, magnamque vegetioris ætatis partem, in veri & recti ſcrutatione potius collocandam ſubducit, idque efficit, ut adultiores vix diſcere incipiant, quæ pueri jam ſcire potuiſſent, ſi diſcendorum vocabulorum multitudo, variæque circa eorum uſum regulæ eos non ab ipſis rebus tam diu abſtraxiſſent. Quæ meminiſſe juvat, ne a fallu inani inflari ſe patiatur aliquot linguarum peritiam conſecutus: nec eruditionem ipſam ac ſapientiam ex Grammatica, aut vocum indice ſe complexum vana perſuaſione arbitretur, velut is, qui *gloriam latine & polite ſcribendi, inter humanos conatus omnes ſummum tenere locum, ſeque decreviſſe in hac vitam finire*, dixiſſe perhibetur IO. FRANC. BVDDEO *in ſelect. jur. nat. & gent.* pag. 333.

§. V.

Inficias tamen ire non poſſumus, pro hodierno noſtrarum rerum ſtatu, id quod per ſe minime neceſſarium erat, jam fere requiri in vario vitæ genere, vel ad va-

riam

riam doctrinam comparandam, vel communitatem cum exteris jungendam, variaque vitæ nostræ, commode beneque tractandæ, præsidia consequenda. Est ergo, ubi aliorum etiam populorum linguas intelligere aut loqui, e re nostra esse videmus.

§. VI.

Cunctarum gentium linguas discere, nec possibile, nec opus est. Jam quis æquo ferre possit animo THEODORI BIBLIANDRI *Heluetii* ostentationem, qui *in comment. de ratione communi omnium ling. & liter.* se gratia Dei facultatem aliquam scribendi aut loquendi, aut certe judicandi de iis linguis, quæ totum terrarum orbem longe lateque possident, ipse scribit; quod habet DAN. GE. MORHOFF. *Polyhist. T. I. l.* 4, *c.* 4. §. 2. Quænam vero earum potissimum, & quot numero discendæ sint ei, qui ad linguarum studium animum appellit, quemlibet sua docebit vel animi inclinatio, vel vitæ, cui se dare decrevit, ratio.

§. VII.

Qui docti hominis nomen tueri gestit, non potest, quæ hodie rei litterariæ est facies, *latinæ* linguæ carere peritia. Hæc enim communis fere est omnium literatorum inter omnes gentes, qua rerum divinarum humanarumque scientias tractant, qua se mutuo intelligunt, inventa sua invicem communicant, pulcherrimos ingenii fœtus publico usui conferant. Quoniamque nulla orbis terrarum est pars, nulla fere provincia aut urbs, ubi non literatos invenias, is, qui *latinam* callet linguam, ubivis gentium domi est & reperit, quibuscum loqui possit; quapropter & iis, qui vel commerciorum vel animi caussa exteras adire gentes, aut per literas eum illis agere cupiunt, perquam utilem esse remur, præsertim quum ipsa multarum earumque celebriorum linguarum mater, ad harum intelligentiam expeditam pandat viam. Litterarum studiosis cunctis fere haud minori se commendat utilitate *Græca* oratio, tum ob oraculorum novi testamenti, tum ob alia quamplurima, patrum primitivæ ecclesiæ, historicorum, philosophorum, medicorum, sacra eximiaque monumenta, denique propter vocum *Græcæ* originis multitudinem, quæ in *latinam* æque ac alias affatim adoptatæ sunt linguas. *Ebræus* sermo, quo divina veteris instrumenti

ti effata expreſſa ſunt, ſcitu neceſſarius eſt cunctis, qui iſta ſalutis noſtræ fundamenta prima, non ex metaphraſibus humanis, ſed ex propriis ipſiſque virorum θεοπνεύστων verbis haurire cupiunt. Reliquarum quas diſcere operæ ſit pretium, itidem ex commodis, quæ quis ex iis habere poſſit, judicandum. Ante enim quam animum adjungas ad linguæ alicujus ſtudium, expendere omnino par eſt, an utilitatem, quæ compenſare laboris ſuſcipiendi gravitatem queat, ex ea aliquando capere poſſis; quo cognito alii *Ruſſica* vel *Polonica*, alii *Gallica* aut *Italica*, alii alia condiſcenda præ reliquis erit. Namque vel commercia ac negocia cum exteris habenda, vel res aliorum populorum geſtæ, ex propriis eorum ſcriptis eruendæ, vel ſcientiæ a quadam gente præcipue cultæ, ſuadebunt modo hujus modo illius linguæ ſtudium.

§. VIII.

Sed diverſus eſt linguarum diſcendarum finis. Aut enim ut intelligat tantum peregrinum idioma, aut ut eodem ſenſa animi explicare ipſe queat, expedire ſibi aliquis putat. Quæ diverſi finis utique habenda eſt ratio, ne plus temporis & laboris, quam ſcopus nobis præfixus poſtulat, idque cum detrimento ſtudiorum magis neceſſariorum impendamus. Haud itaque probare poſſumus nonnullorum, qui linguas docent, inſtitutum, quo in *Græcum Ebræumue* idioma convertenda diſcentibus proponunt, quum nullus tamen vel ſcribendæ vel loquendæ, ejuſmodi linguæ uſus per totam vitam ſperandus ſit. Attamen liberæ animi propenſioni aut ardori, quo quis flagrat in linguæ alicujus, ultra quam opus erat, conſequenda cognitione, nihil interdictum volumus.

§. IX.

Ipſam linguarum diſcendarum rationem vel *naturalem* vel *artificialem* dicere poſſumus: iſtam optime ſe habere, hanc eo pejus, quo longius a naturali diſcedit, haud mirum. Quippe natura optima duce vernaculam diſcimus infantes nullo labore, exiguo tempore, ac tamen bene: reliquas ut plurimum vario artificio ac regulis diſcruciati, vix longo temporis intervallo, magno cum tædio, plerumque etiam corrupte. Nos, qua fieri poteſt, naturalis ſequemur veſtigia.

§. X.

§. X.

Scilicet ipsa rei natura nos docet, & facilius & prius esse, ut intelligas, quam loqui velis linguam. Quæ quoniam est complexus vocum, res certas ex usu denotantium, necesse est, ut qui istam intelligere gestiat, vocum singularum significatum, quem ex usu gentis alicujus habent, discat. Quum porro vocabula sint rerum signa, atque cujus rei signum aliquid sit, non melius intelligatur, quam si cum signo ipso conjunctim exhibeatur signatum, etiam vocabuli notio neque celerius neque rectius concipi potest, quam si cum vocabulo ipsa res, quam denotat, sensibus una offeratur.

§. XI.

Hæc methodus ceteris antecellit non unam ob caussam. Est enim primo plane *naturalis*. Nam vocabulum ideo rem significare dicitur, quod cum ipsa, ut ejus signum esset, copulatum, atque adeo cum ea semper conjunctim animo repræsentandum est: id quod, utroque sensibus simul oblato, omnium optime fieri potest. Deinde hac ratione suam quisque, sine ulla regula alium quemlibet & cujuscunque nationis, quemve ipse non intelligit, docere potest, ita quidem, ut multorum hominum, qui sibi invicem barbari, alius alii suum impertire idioma, itemque ab uno omnes simul & eadem opera linguam ignotam capere queant. Ad quæ accedit, quod hac methodo cunctarum vocum significatus perspicue atque indubie concipiatur, quoniam exhibita re ipsa cum vocabulo, hujus notio neque obscura neque ambigua esse potest, ut fit alias, quum signum per aliud signum, h. e. vocabulum ignotum per aliud, quod sæpe ipsum est obscurum aut anceps, explicare volumus. Ut res exemplo illustretur; in *Ebræa* discenda per aliam linguam, quid vox מפתח denotet, *Græco* homini exponitur per vocem *κλεις*, *Latino* per clavis, *Italo* per chiave, *Gallo* per clef, *Germano* per Schlüssel/ alii per aliud nomen, quod pluribus etiam notionibus convenire potest. E contrario, ipsa re, quæ significatur, cum voce מפתח monstrata, hujus notio omnibus, cujuscunque sint nationis aut linguæ, evidentissime exponitur, omni sublata animi fluctuatione, quæ in vocabulorum per alia vocabula explicatio-

catione, propter horum homonymiam locum non habet. Sic *cardo* & *hamus*, *vicus* & *macula*, *custos* & *pileo*, *cista taberna* & *valuæ*, *amygdalæ tonsillæ* & *acervi mergitum*, *hirsutus* & *fumus*, *zea* & *colus*, *salix* & *pascuum*, aliaque *latinorum* plurima *Germanice* reddita, dubium faciunt sensum, præsentibus autem simul objectis certus ac distinctus concipitur vocum significatus.

§. XII.

Hunc, quem laudamus, esse facillimum ipsique naturæ convenientissimum linguarum discendarum modum, vel ex eo claret, quod non solum majores natu, verum etiam infantes, sensuumque & rationis usu infirmissimi hac ratione linguas discunt ab imperitis regularum artis ac illiteratis, cum quibus sunt, idque breviori tempore minorique (vel nulla potius) molestia, quam alii a magistris linguarum peritis, ope multarum præceptionum, lexicorum, grammaticarum, aliorumque subsidiorum.

§. XIII.

Quapropter longe felicius discunt linguas in hortis, campis, silvis, variis opificum officinis, quam in Musæo semper hærentes: aut quando hac opportunitate non semper frui licet, ipsæ rerum, sive a natura sive ab arte effectarum, sculptæ pictæve aut æri incisæ imagines, ut venationum, piscationum, agriculturæ, aucupii, ceterarum rerum œconomicarum, opificiorum, præstare vicariam operam paremque utilitatem possunt. Huic fini præsertim inserviunt rerum ab orbe condito gestarum, quas Scriptura Sacra vel alii etiam auctores antiqui, & recentiores memoriæ prodiderunt, tabulæ scite in æs incisæ.

§. XIV.

Altera discendarum linguarum via anfractuosa multum, usu tamen trita est ope vernaculi vel alius cogniti jam nobis idiomatis. Quæ quum plerumque multo difficilior fiat eorum, qui ducunt, erroribus; operam dabimus, ut &

& hæc, qua omnes fere eunt, apertior breviorque reddatur via. Quando ergo, quid peregrina significent vocabula, per rerum ipsarum præsentiam manifestari nequit, fieri illud debet per voces vernaculæ aut alius, quæ nobis satis cognita est. Quod quidem adminiculum nobis præstant *lexica*, quæ extraneæ linguæ verba, ordine aut alphabeti aut derivationis disposita, explicant per vocabula linguæ cujuspiam notioris. Sed quoniam in ipsa etiam vernacula multa occurrunt, quæ nobis obscura, vel ambigui sensus sint, hæc vero declarare exoticas voces non possint, rectius harum significatus discitur ex ipsa statim librorum lectione, adjuncta præsertim viva docentis voce, quam ex lexico aut separatarum vocum indice.

§. XV.

Scilicet non melius verbi alicujus significatio, quam ex sermonis contextu cognoscitur: præterea ratio vocum, pro gentis usu, invicem conjungendarum, seu phrases,& loquendi formulæ simul addiscuntur: tum multum interest, continuo ad ipsam rem sine ambagibus accedere, scopumque, qui est intelligentia sermonis peregrini, vel voce vel scripto prolati, statim petere; postea in omni linguarum studio nihil reperies vel jucundius vel facilius, quam cognoscere ab aliis belle scripta, atque ex iis quæ animum oblectent, haurire: denique legendis libris simul vocum ignotarum copia vel inopinanti lectori; atque cum voluptate quadam, se insinuant.

§. XVI.

Facessant ergo sub initium onomastica quæcunque, seu ut dicunt *vocabularia*, tota memoriæ mandanda; facessant hinc *Grammaticæ*, absint longissime *exercitia* vel loquendi vel scribendi linguam; antequam eam intelligas. Rectius ab ipsa statim boni scriptoris *lectione* facere initium jubent rationes in medium paulo ante prolatæ. Multum tamen refert, quo ordine quave methodo in hac verseris, quoniamque in rebus etiam facillimis initium omne grave videtur, præcipua erit cura nostra, ut reddantur, quoad e-

jus

jus fieri poſſit, plana atque expedita omnia. Quod triplici adhibita cautione effici poſſe confidimus, primo *præparatione*, tum ipſa *lectione* perſpicui elegantiſque libri, poſteaque *repetitione*. Namque decentem ipſorum elementorum ſeu literarum pronunciationem, earumque inter ſe conjunctarum, pro more in aliqua gente recepto, legendi rationem nos hic præſumtam habemus.

§. XVII.

Præparatio autem inſtituenda hoc modo, ut primi capitis ſeu penſi præcipua vocabula, & quæ in ſequentibus ſæpius recurrunt, cognita fiant. Quumque illud demum teneamus, quod ſæpius, ac, ſi fieri poteſt, pluribus oblatum fuerit ſenſibus, vocabula nec facilius, nec citius menti imprimi poſſunt, quam ſi præeunte docentis voce, ipſe diſcens eadem, litteris conſignata, legat, ut per geminos ſenſus, auditum atque viſum ſimul, ſe in animum ingerant. Quo facto, eadem aliquoties a diſcente ſcribi & ita quidem expedit, ut manum ſocia ſemper comitetur etiam diſcentis vox, ſeu, ut pronunciet clara voce, quæ ſcribit, quo iterum per plures externos ſenſus in mentem introeant vocabula cum ſua ſignificatione. Ad *præparationem* hancce primo pauca ſufficiant, ipſo ſtudii progreſſu ſemper augenda, ac tum quidem ita, ut incognitæ legendi capitis voces non ſimpliciter, ſed per caſus & numeros, item per tempora ac perſonas flexæ, & ſcribantur, & recitentur, præeunte primum magiſtro, poſtea ſecundum tabulam ſeu ſchema aliquod, ab ipſo propoſitum. Qua vocum declinatione non modo memoriæ illarum optime conſulitur, ſed eadem opera cum notione principe, quæ ſemper manet, acceſſoria innoteſcit, quam numerorum caſuum temporumque efficit diverſitas.

§. XVIII.

A prævia præparatione, continuo ad ipſam *lectionem* properandum, quæ ut expeditior reddatur, docens enarratis breviter, ad lucem præferendam lectioni, iis quæ in capite tractantur; voce præeat ipſe ſingulorum paragra-

pho-

phorum lectionem & in vernaculum idioma translationem, primo quidem ut verbum de verbo exprimat; dein, ut eorum in orationis contextu sententiam exponat pro linguæ, in quam transfert, genio. Tum docentem suum arcte sequatur discens, ut factam unius paragraphi expositionem imitetur e vestigio, antequam illius memoria per ea, quæ sequuntur, obliteretur. Nullus vero hic sit locus observationibus, vel grammaticalibus vel criticis aliisve excursibus, ne rerum connexarum series interrumpatur, sed sine remora ad finem perducatur totius capitis *lectio*.

§. XIX.

Quo facto, *repetitio* hac ratione instituenda, quo suus ipsi fructus constet, ut docens eundo per singulos paragraphos peregrina roget vocabula, a discente per vernaculam, inspecto contextu reddenda, dein ut hic litteris nunc consignet ipse quam a docente percepit capitis versionem. Hanc noster tentabit, ut quæ ex lectione retinuerit, animadvertat, quæque minus aut perperam intellexerit, rogare ex docente queat; nam quæ legentis attentionem effugerant, jam non possunt. Ex quo, quantum scribenda versione attentio discentis excitetur, manifestum est, qua denique relecta post temporis intervallum, vel denuo tentata, quid interea profecerit idem, se prodit. Hanc, quæ tantæ est utilitatis, versionem expedit duplicem, qualem a docente accepit, condere. Alteram, quæ verborum singulorum proprietatem sequendo, cuilibet dictioni statim subjungat, quæ in vernaculo idiomate ei respondet. Quæ, quamvis peregrinum ac asperum sonet, tamen non parum emolumenti adfert, quum haud alia ratione melius linguæ utriusque idiotismi addiscantur, præterea vocum singularum proprius significatus denuo se menti insinuet. Hanc verborum versionem, altera excipiat ipsius sensus, quem omnium partium suadet cohærentia.

§. XX.

Hæc primi pensi, & aliquot sequentium, translatio forte, quod suspicari possumus, deformis ac illepida exierit,

rit, tam parum tamen a cœpto deterrere debet, quam verum illud, *qui nunquam male, nunquam bene*. Quo verbo audentior factus, pergensque eo, quem commonstravimus tramite, in dies cuncta lætius efflorescere animadvertet. Ut tamen tædium insueti laboris levetur, consultius putamus cuncta, quæ diximus, primo saltim mense, non nisi præsente & suppetias ferente magistro facere. Viva enim docentis vox, qua melius capimus omnia, peregrinæ dictionis rectam pronunciationem & interpretationem præit, ambiguitatem, si qua est, tollit per synonyma, per rei descriptionem, vel per aliquem locum, in quo adhiberi debeat; male vel enunciata vel scripta, vel perperam intellecta corrigit, inque memoriam, quæ effluxerant, revocat.

§. XXI.

Tria hæc, inter quæ ipsa lectio atque versio eminet, naviter continuata sufficiunt ad intelligentiam cujuscunque sermonis acquirendam. Quo nomine eam eximie laudat Ehrenfried Walther a Tschirnhausen *in medicina mentis & corporis* Part. II. inter alia egregia, *memini*, inquiens, *me vidisse puerum annorum circiter decem, qui duorum annorum spatio omnes latinos auctores vulgatos bene intelligendi sibi habitum compararat, tantum inde, quod varios auctores interpretandi consuetudinem sibi habuit commendatam*. Rationem autem rei hanc damus. Legendis interpretandisque assidue libris eadem vocabula sæpe occurrunt, adeoque una cum significatione sua aliquoties repetita tenentur facile memoria, & quotidie augentur numero; quumque non nisi ex vocabulis tota constet lingua, consequitur, qui crebro legit, eum multas voces memoriæ facilius imprimere, qui hoc, eum cito ad intelligentiam linguæ pervenire. Ita, ut manus manum, sic & lectio copiam vocabulorum, hæc lectionem juvat.

§. XXII.

Sunt tamen pauca adhuc, quæ ad linguæ cujuspiam ocyus meliusque consequendam intelligentiam, monenda,

e re esse ducimus. Et ut vocabulorum quidem copia, qua commode fieri possit ratione, breviorique comparetur tempore, præter ipsam lectionem quam plurimum faciunt *Lexica* rite adhibita. Ex his ut promiscue omnia vocabula memoriæ, quod vulgo multa cum carnificina fieri solet, mandentur, auctor nunquam fuerim. Namque vocabula extra connexionem cum aliis posita, nihil de rebus ipsis dicendo, neque intellectum cognitione satiant, neque voluntatem afficiunt, adeoque non sine tædio aliquoties leguntur sæpiusque releguntur, ut memoriæ, vi quasi illata, inculcentur, eoque ipso ægre difficulter retineantur. Taceo, quod hac ratione multa, per totam vitam vix semel aut prorsus non occurrentia, in futuræ oblivionis spem addiscantur.

§. XXIII.

Ad nostrum autem scopum faciunt maxime *Lexica minora Indicesque vocum*, qui derivationis sequuntur ordinem; cujusmodi adornarunt CHRISTOPH. CELLARIUS *in latinæ linguæ libro memoriali*, Jo: ISAC. SCHAZIUS in *Cellarius Francois*, alii in aliis linguis. Neque vero hæc memoriter totave ediscenda tradimus, sed legenda tantum hac fere ratione, ut eorum, quæ in lectione auctoris alicujus incognita occurrerint, alia per declinationis aut conjugationis exercitium, ut supra jam dictum, memoriæ mandes, alia in ejusmodi *lexico* quæsita, cum omnibus cognatis, ab eadem radice oriundis, perlegas vel in utroque idiomate, vel in uno tantum, alterutro contecto, quod e memoria, promendum aut ex derivationis analogia æstimandum. Namque semel perspecta certarum particularum in compositione vi significandi ac derivationis analogia, quum unum vocabulum noveris, reliqua derivata ac composita omnia noveris, v. g. quum didiceris, quid significet EO *Latinorum*, atque seriem inde derivatorum in *memoriali Cellariano* quæsieris, haud difficulter scies vel suspicaberis, quid *abeo, ad - ante - amb - circum - con - ex - in - inter - intro - ob - per - præ - præter - pro - re - sub - transeo*, item quid substantiva *abitus, aditus, ambitus, circuitus, exitus, interitus, introitus, obitus, reditus, transitus*, & reliqua sibi velint: quod parandæ vocum copiæ

 egre-

egregium compendium fusius tractavit Jo: Joach. Becherus *in methodo didactica*.

§. XXIV.

Lexicorum autem majorum, quæ omnes vocum significationes etiam rariores complectuntur, usus esse potest in ipsa librorum lectione, præsertim quum hæc difficultatis non nihil habere, ex dubia vocum acceptione, forte videatur. Non enim est lingua, arbitramur, quæ homonymiæ vitio non laboret, unde tot sæpe in auctorum explicatione nodi Gordii, vel a linguæ peritissimo ægre interdum solvendi. Vix deprehendas vocem, quæ unico & fixo usurpetur semper in sensu. Notionem principem & propriam, cui significandæ vocabulum primo est impositum, stipant denso agmine methaphoricæ, metonymicæ, synecdochiæ, a variis scriptoribus varie adhibitæ, ut eas omnes memoria se tenere nemo gloriari possit. Quapropter, qui inoffenso pede in legendis peregrini idiomatis libri versari velit, haud commode ejus generis *lexicis* carere poterit. Quibus tamen ita utendum in ipsa lectione remur, ne multa nimis evolvendo, ea retardetur, sed tantum ubi dictionum significatus, quem tenemus, quadrare non videatur.

§. XXV.

Neque etiam prætermittendæ hoc loco sunt *versiones* aliorum, vel in vernaculam nostram vel aliam, quam bene cognitam habemus linguam, quas majori etiam nonnunquam cum fructu, quam ipsa lexica, inter legendum consulere poteris. Sive enim magistro, qui te doceat, omnino destitutes sis, sive etiam tuas periclitari vires, & absque illius auxilio scriptorem quemdam legere velis, bene cedet, si versionem in subsidium vocatam, ante capitis vel paragraphi lectionem, inspiciens, sensum verborum, in peregrino idiomate legendorum, præceperis. Versionis autem non data facultate, non est incipienti legendus alius liber, quam cujus materia, & argumentum cujuslibet capitis ipsi satis sit perspectum; hoc enim modo

do duæ aut tres voces cognitæ sensum reliquarum sæpe manifestabunt.

§. XXVI.

Ex quo etiam, qui libri initio sint legendi, hauddifficulter colligere licet. Namque quum a facilioribus esse ordiendum nemo cum ratione negaverit, jam qui libri faciles vocari queant, ante dispiciendum. Facilitas, puta intelligendi, a duabus potissimum pendet caussis, tum ab ipsarum rerum, tum ab orationis, qua istæ exponuntur, perspicuitate. Perspicua illa est locutio, quæ verba non quidem plebeja, multo minus barbara aut obsoleta, sed vulgata usuque trita habet, iisque utitur quoque in significatione usitatissima & propria, atque adeo a tropis & figuris vel Grammaticis vel Rhetoricis plerumque abstinet. Res autem ipsæ a nobis hic vocantur perspicuæ, quæ non ad scientiarum artiumve genus pertinent, sed in communi vitæ ratione & consuetudine quotidiana locum tuentur suum. Huc referimus rerum gestarum narrationes sive veras sive fictas, item epistolas, & colloquia familiaria de rebus quotidie occurrentibus.

§. XXVIII.

Primas tenent res gestæ, utpote in quibus etiam aliquis nexus, ut ex antecedentibus intellectis sequentium verborum sensus facilius cognoscatur. Quoniamque varietate sua mirifice discentis delectant animum, qui alias facile lassaretur; confieri etiam necesse est, ut cum oblectatione rerum ipsa vocabula, quibus illæ propinantur, vividius se menti repræsentent. Quo accedit, quod ipsa historia amet fere eum, quem incipienti commodum diximus stilum planum, vulgarem, atque perspicuum. Ergo commendamus historicos primo legendos, præsertim veteres latinos *Cornelium*, *Cæsarem*, *Justinum*, *Curtium*, *Sallustium*, *Suetonium*, *Paterculum*, itemque fabularum elegantissimarum scriptorem acutum *Phædrum*, non solum omnibus qui *Latinæ*, sed etiam reliquis linguis operam navant, in quas isti conversi sunt. Sed omnium instar esse possunt in quacunque lingua *Biblia Sacra*, in qui-

bus hiſtoria rerum divinarum humanarumque, temporum, perſonarum, eventuum admirandorum viciſſitudo, cum cœleſti doctrina noſtrique ad æternam ſalutem inſtitutione conjuncta, mirum in modum attentum facere poſſunt lectoris animum. Quorum lectio eo expeditior faciliorque ſit, in quocunque idiomate, neceſſe eſt, quo magis jam a prima ætate rerum, quæ in ſacro Codice leguntur, inſtillata nobis eſt cognitio. Sic *Tanaquill Faber* diſcendæ Latinæ linguæ aliquot Evangelii S. Johannis capita ex ipſa vulgata fundamenti poſuit loco. Qua methodo uſi JOBUS LUDOLPHUS, & GODOFRED. VOCKERODUS, celeberrimi polyhiſtores, eandem cunctis commendarunt; vid. hic in *conſultationibus de literarum ſtudiis*.

§. XXVIII.

Ita quotidie continuata faciliorum ſcriptorum lectione, brevi fiet, ut habitum legendi & interpretandi exteros autores adeptus, pergere jam non modo ad difficiliores, verum etiam peregrinum æque promte ac domeſticum legere ſermonem poſſis, hoc eſt vocabula peregrina immediate ſtatim cum ipſis rebus conjungas, non vero per ambages primo cum vernaculis, & ope harum, cum rebus, quarum ſunt ſigna.

§. XXIX.

Et tantum profeciſſe multis in linguis plerumque ſufficiet iis, qui alieno ſermone loquentes aut ſcribentes intelligere tantum volunt. Nam qui eo pergere in linguæ alicujus ſtudio in animum induxit, ut poſſit ipſe in ea ſua animi ſenſa exprimere, aut quando aliqua lingua ita eſt comparata, ut eorum, quæ in illa ſcripta ſunt, genuinam ſententiam indubie cognoſcere quam plurimum referat, ac contra aliorum ſiniſtras interpretationes tueri neceſſe ſit, tunc grammaticali etiam, eaque accuratiori, linguæ cognitione omnino opus eſt.

§. XXX.

§. XXX.

Grammatica enim tradit regulas pure & recte loquendi, non quidem ex proprio ingenio, sed ex observata in linguæ alicujus usu locutionum similitudine conditas: ergo utramque, quam modo indicavimus, utilitatem præstare potest. Nempe in eruendo ac defendendo cum certitudine scripti alicujus vero sensu, quæstio est non solum de simplici vocum significatione, quam lexica suppeditant, sed de consuetis in aliqua gente diversorum generum, graduum, casuum, numerorum, personarum, temporum, conjugationum activæ & passivæ notionis, caracteribus, vocumque invicem construendarum diversis formis, ex quibus inter se collatis de totius contextus sententia judicare licet. Quum igitur *Grammatice* istas vocum affectiones doceat, inprimis Theologiæ operantibus necessaria est *Grammatica* Hebrææ Græcæque cognitio ob sacri Codicis, primi scientiæ salutaris principii, interpretationem rite instituendam. Quod non minus ad eos quoque pertinet, qui, ut ipsi in idiomate aliquo cogitationes suas expromere possint, statutum apud animum habent, utpote quos ejus gentis, cujus proprium illud est, sequi oportet loquendi usum, quemve *Grammatica*, justis regulis conclusum in compendio exhibet. Quapropter in ista tractanda tres notamus errores, a quibus multi decipi se patiuntur. Primus est eorum, qui ea penitus neglecta se ingenti adminiculo ipsi privant, quando uti nolunt eo temporis & operæ compendio, quod nobis præstiterunt, qui suas de recte loquendi ratione experientias, longo studio ac indagatione multa comprobatas, paucis aliquot regularum verbis expresserunt. E contrario nec melius illi agunt, qui toti atque continuo in *Grammatica* sunt, eoque parcius in legendis imitandisque scriptoribus probatis. Hi omnes voces secundum præcepta Grammaticorum exigentes, quasi ipsi auctores ad horum placita, & non potius hæc ad illos accommodanda essent, longo tempore hærent in uno auctoris capite explicando, ac parvum librum vix multis annis, vel ne totum quidem perlegunt, tantum abest, ut imitari aliquando discant. At verissime

pronunciat Jo. GEORG. WALCHIUS in *Hiſt. crit. latinæ linguæ*, optimos Grammaticos latinos ne mediocriter quidem artem latinæ loquendi calluiſſe, exemplo VARRONIS, SCALIGERI. Tandem hic etiam peccare nobis videntur, qui ſtatim ſub initium diſcendi alicujus ſermonis ad *Grammaticam* ſuos ducunt, quaſi ad intelligendum ſermonem peregrinum, quod primum in omni linguarum ſtudio eſt, ipſa lectio uſuſve quotidianus loquentium non longe citius meiiuſque duceret, teſte perpetua ac quotidiana tot hominum experientia, qui vel ſola conſuetudine audiendi legendive exteros, breviſſime eo perveniunt. Præter alios multos teſtes ipſe Grammaticæ philoſophicæ auctor CASP. SCIOPPIUS negat, ſe nllam didiciſſe Grammaticam latinam, ſed ex quotidiana modo auctorum lectione uſuque loquentis, nominum verborumque declinationibus memoriæ mandatis, ſex menſium intervallo ſe *Latinæ* linguæ intelligentiam conſecutum fatetur. Gravior vero iſte eſt error, quando tenera ætas perplexis *Grammaticorum* præceptionibus diſcruciatur, quum citius hi aliquot faciles auctores legendo intelligere, quam *heterogeneorum*, *heteroclitorum*, *deponentium*, *epicoenorum*, aliorumque terminorum, monſtra quæ ipſis videntur, capere poſſint ſenſum. Quem peſſimum morem damnat MORHOFIUS *polyhiſt*. part. I. Lib. 2. cap. 1. *Ego quidem*, inquiens, *ſic exiſtimo, eamdem eſſe Grammatices difficultatem, quæ eſt vel Metaphyſices & Logices, atque adeo illos ineptos eſſe, qui illius minutiis puerorum ingenia torqueant. Nunquam ego tam felicis quemquam puerum ingenii fuiſſe arbitror, qui Grammatices artem illa ætate apprehendere potuerit, nam uſus & maturior ætas, quæ ad Philoſophiam apta eſt, illa demum docebit.*

§. XXXI.

Recte quidem is. Atque ita etiam ſentimus, *Grammaticam* minime negligendam, ſed omnino, ſuo demum tempore & loco, decentique ratione tractandam. Nimirum quando in linguæ ſtudio tantum profecerimus, ut intelligere loquentes aut ſcribentes in ea poſſimus, tunc addi poteſt illius cognitio, leviori opera, nullo cum tædio,

ube-

uberiorique cum fructu. Duplici autem ratione eam legendam putamus, primo totam, ut cunctarum de linguæ alicujus genio ac puritate observationum aliquod systema ac complexum menti repræsentemus, dein ut, in librorum lectione accuratiori, ubicunque ad sensus veri indagationem facere aliquid *grammaticales* regulæ possunt, eas in subsidium adhibeamus, denique in scribendo, ut ea, quæ ipsi alieno idiomate expressimus, ad analogiam *Grammaticam* exigamus, admissaque a nobis sermonis vitia corrigamus.

§. XXXII.

Hac igitur fida comite, qui eo, quem intelligere didicit, sermone jam etiam sua animi sensa aliis exponere gestit, ad alterum, qui in linguarum studio consequendus est, progreditur finem. Cujus non rectius compos fieri poterit, quam *imitatione* eorum, quorum sermonem suum facere vult. Namque ad scribendum atque loquendum in aliqua lingua necesse est, ut iisdem utamur signis atque eodem etiam modo, ad indicandas res, quo usi fuerunt, quorum ista lingua est domestica. Quo circa aliorum linguam loqui discimus nonnisi imitando eosdem, quemadmodum vernaculam ex sola *imitatione* nostratium didicimus. Quod imitandi negotium cum diversa ratione institui possit, ab ea, quæ facilior, & hic initium capiendum esse, ipsa jubet ratio.

§. XXXIII.

Facilius autem est *imitari* statim auctores, quos jam de aliqua re præeuntes nobis voce sua habemus, idque vel in singulis phrasibus, vel in continuo sermone. Ergo primus *imitandi* modus hic esto, ut jam potiores tersi probatique auctoris loquendi formulas, in lecto a nobis capite lineola notatas, atque in sermonem nostratem translatas, rursus in peregrinum convertamus remoto auctore; jam singulos paragraphos, quin tota capita, epistolas, historias, orationes, paullo ante lectas, atque in vernaculam linguam a nobis translatas, itidem statim seposito auctore in peregrinum rursus convertere tentemus, ita quidem, ut iisdem, quibus ipse usus est auctor, verbis & phrasibus eandem rem exponere nitamur. Quæ postrema translatio, quam nobis hic liceat *imitationem* ap-

pellare, quatenus eorum sermones, quos legimus, imitari conamur, non uno se commendat nomine. Primo longe *facillima* est, quum de eadem re verba ac phrases, quibus auctor eam expressit, paullo ante lectæ atque in vernaculum conversæ, in recenti adhuc hærent memoria, & ob oculos quasi versantur, neque sic opus habemus quærendis in lexico vocabulis ac locutionum formis, quo oleum & opera sæpe perit, diu immorari. Dein *utilissima* etiam est hæc imitandi ratio, dum non, quod alias fieri solet, barbaro, a nobis effi: to, aut ex diversi stili auctoribus male consarcinato, sed puro & æquali adsuescismus sermoni. Denique & id commodi præstat; quod alia nulla in linguis exercitatio, ut collato rursus auctore nos ipsi corrigere compositionis nostræ vitia, ac meliora ab ipso auctore discere possimus; quam ideo etiam iis maxime commendamus, qui docentis destituti auxilio, proprio, quod ajunt, marte pleraque facere coguntur.

§. XXXIV.

Ab hoc imitandi modo non multum abludit, multæque est utilitatis variatio vel singularum phrasium vel totius contextus grammatica, quando cunctæ auctoris voces retinentur quidem, variatis tamen ceteris earum affectionibus & accidentali significatione, ita ut actio verbi in passionem transeat, personarum, modorum, temporumque alia cum aliis, itemque nominum casus varii invicem permutentur, quantum quidem genius linguæ permittit. Qua ratione toti orationi alia inducitur facies, ut quæ in auctore proposita legimus, relativo stilo efferamus, historicam narrationem in epistolæ colloquiive formam redigamus, aut vice versa. Et hoc & illud, quod ante diximus, imitandi exercitium non scriptione tantum, sed etiam voce ac narratione institui, adeoque & loquendi extemporalitatis initium, optime fieri potest, quando ea, quæ peregrino sermone legimus, præsertim fabulas atque historias statim voce reddimus, idque, si fieri potest, aliis audientibus; aut stilo relativo, inspecto etiam, si placet, libro; vel eodem, quo auctor usus est, memoriter. Non multo post difficilior etiam tentanda sæpe est imitandi ratio, qua lecta aliqua historia, epistola, oratione, aliam

quæ-

quærimus materiam vel nonnihil similem vel diversam ; quam phrasibus scriptoris nostri exprimere, operam navamus. Item illa, quum de re quapiam scripturi aut loquuturi, eamdem in elegantiori quodam scriptore tractatam legimus ante, ac deinceps quibus ille usus est loquendi modis nos etiam utamur.

§. XXXV.

Tandem progrediendum ad id, quod summum in idiomate plene edilcendo est, scilicet ut de omnibus rebus libere scribere & loqui incipiamus. Quod quamvis arduum sane sit, hac tamen methodo & hoc ordine absque difficultate efficitur, quia ab eo quod facilius erat, per gradus progressi, ea omnia in promtu jam habemus, quibus nobis opus ad exstruendum, propria arte, orationis ædificium, nactique sumus per superiores exercitationes habitum expedite verba ac phrases inveniendi, quibus auctores probati, quos legendo vertendo imitandoque in succum & sanguinem, quod ajunt, convertimus, usi sunt.

§. XXXVI.

Jam quis satis mirari ac potius detestari potest præposterum docendi discendive linguas modum, qui & antiquitate & communi fere ubivis more, præsertim in Latinæ linguæ studio, adeo invaluit, ut vix alium, saltim non meliorem fingi posse sibi persuadeant multi. Scilicet vix incipientibus prima linguæ discere elementa, & antequam auctorem aliquem perlegerint, dictatur in calamum vernaculo idiomate thema seu exercitium, quod vocant, in peregrinum (imo nimis adhuc peregrinum) sermonem, ut convertant rudes verborum & phrasium, idque ut plurimum privato studio, ne ad carnificinæ nomen promerendum desit aliquid. Quis jam non videt, quam male id elaborent necessario discentes, & quam imprudenter magistri eorum id exigant? Namque ex vernaculo aliquid in alienum transferre idioma cetera omnia præsupponit, quæ ad linguarum studium pertinent : quorum omnium quum imperitissimi sint, qui incipiunt, nihil poterat ab iis postulari aut difficilius aut imprudentius, quam ut faciant, ad quæ prorsus inepti atque inidonei sunt.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Quæ omnia ut paucis complectamur, hanc servandam linguarum discendarum methodum, ratione duce existimamus, ut seposita tantisper Grammatica aut thematum in peregrinum sermonem conversione, initium statim facias ab ipsa *boni auctoris lectione*, ejusque in *vernaculum idioma versione*, quibus dein bene fluentibus ad *Grammaticæ* tractationem pergas, tum si volupe atque e re tua fuerit scribere aut loqui peregrino sermone, *imitari* quos legeris, suscipias, primo quidem reciproca versionis vel *singularem phrasium* vel *totius orationis in peregrinum idioma translatione*, tum istarum *ad aliam rem ac materiam applicatione*, denique *libero scribendi & loquendi exercitio*, cum continua elegantiorum scriptorum lectione conjuncto.

FINIS.

INDEX

Rerum præcipuarum in Meditatione Philosophico-Critica

DE PERFECTIONE LINGUARUM CONTENTARUM.

A

ABSTRACTUM quid Pag. 52
ACCENTUS quid 76
ejus differentia a Tono *ib.* requiritur in Lingua perfecta *ib.* Hebræorum sunt divinæ originis 62 Hebræorum inserviunt ad indicandam diversam vocabuli relationem ad reliqua 61
ADVERBIA quid 29
ÆQUALITAS Syllabarum quid 78
ÆQUIVOCA vocabula quæ 41
AMBIGUITAS sensus unde oriatur sæpe 65
ARS CHARACTERISTICA quid 33 combinatoria quid 34
combinatoria cui inserviat 36 combinatoria quid præstet 37 combinatoria est species scripturæ universalis 38
combinatoria pertinet ad Linguam universalem 38
AUDIENS quando intelligat loquentem 11 quando falso intelligat loquentem *ibid.*

B

BRUTA voces suas edunt *natura* 21
BRUTA nulla vocabula, natura duce, sed *arte* & *assuefactione* pronunciant 10
BRUTIS non competit *vox articulata* 9

C

CASUS quid & unde 27
CAUSÆ diversitatis Linguarum quænam 13
COGITATIONES alterius non cognoscuntur *immediate* 5
communicantur per *signa demonstrativa* 6
COGNATIO VOCABULORUM quid 52 ejus *utilitas* 53
requiritur ad Linguam perfectam 54
COMMUNE ab uno ad unum vocabulum quid 42 excluditur ad Lingua perfecta *ibid.*

CON-

CONCRETUM quid 52
CONJUNCTIONES quid 29
CONSENSUS quid 39
CONSONANTES quid 9 pronunciatu faciles quænam 71 eædem requiruntur in Lingua perfecta 71 plures possunt habere interdum unam moram 79
CONTRACTIO vocabulorum simpliciorum in Lingua perfecta est necessaria 68
CRYPTOGRAPHIA quid 24 num possibilis *ib.*

D

DIALECTUS quid 46
DIALECTI excluduntur a Lingua perfecta 47
DIPHTHONGI quid 9

F

FACULTATEM LOQUELÆ homo habet *natura* 18
FINIS quid 40 Linguæ quis 39

G

GENERA NOMINUM quid & unde 27
GRAMMATICA quid 30 quid tractet *ibid.*
GRAMMATICA UNIVERSALIS quid *ibid.* quid ea tractet *ibid.* unde originem suam petat *ibid.*

H

HABITUM LOQUELÆ homo *natura* non habet 18
HEBRÆA LINGUA num sit perfectissima 43 in quonam aliis illa sit præferenda 68 an Orationis ligatæ impatiens si illa 87
HOMINES extra societatem educati cur lingua careant 21
HOMONYMUM VOCABULUM quid 41

I

IMAGINATIONIS REGULÆ ope per verba nos invicem intelligimus 12
INTELLIGERE unus alterum quando dicatur 11 Interjectiones quid 29

L

LINGUA quid 12 quomodo adquiratur *naturaliter* 13 essentialis num sit possibilis 50 imperfecta quænam 42 peregrina quid 16 quomodo illa adquiratur *naturaliter* 16 quomodo dicatur 18 perfecta quænam 40 illa respuit plures unius nominis significatus 41 potest exerceri per *Loquelam* ac *Scripturam* 25
LIN-

LINGUA verbis dives quænam 42
LINGUA VERNACULA quid 14 quomodo illa discatur *ib.*
LINGUÆ FINIS quis 39 variæ sunt possibiles 12 universalis quid 31
LITTERA quælibet habet *moram* 79
LITTERÆ quid 9 eædem in Lingua perfectissima diversis signis pingi debent 65 quædam gaudent *vi secreta* 51
LOGOMACHIA quid 87 pendet ab æquivocationibus *ibid.* absit a Lingua perfecta *ibid.*
LOQUELA competit Brutis 13
LOQUELÆ habitum homo an natura possideat 18 Loqui quid 12

M

MEDIUM quid 40
MODI VERBORUM unde 29
MONOTONIA quid 75 illa exulet e *lingua perfecta* *ibid.*
MORA quid 79
MORARUM doctrina num in aliis Linguis extra Hebræam queat applicari 82

N

NOMEN Rei accidentale quid 47 essentiale quid *ibid.*
NOMINA quid 26 Adjectiva quid *ib.* Appellativa quid *ibid.* Propria quid *ibid.* Substantiva quid *ibid.*
NOMINA Rerum accidentalia excluduntur a Lingua perfecta 48 Renim essentialia requiruntur in Lingua perfecta *ibid.* ea reperiuntur in Lingua Hebræa 49.
NOTIO PRIMARIA & ACCESSORIA uno vocabulo exprimi debet 69
NUMERI quid & unde 27 Verborum unde 28

O

ONοματοποιιν num in Lingua perfecta liceat 44
ORATIO LIGATA quid 84 an illa supponat diversam syllabarum longitudinem ac brevitatem 86 prosaica quid 84

P

PARTICIPIUM quid 29
PERFECTIO quid 39 ejus gradus *ib.* Linguæ postulat *commoditatem* ac *brevitatem* 66 Linguæ requirit, ut cum *jucunditate* audiatur 73 Linguæ postulat nomina rerum *essentialia* & rejicit *accidentalia* 48

PER-

Perfectio Linguæ postulat, ut ad *orationem ligatam* sit apta 86 Linguæ excludit *plura unius rei nomina* 45 Linguæ postulat *diversum unius Litteræ pingendi* modum 65
Personæ in Verbis unde 28
Præpositiones quid 29
Pronomen quid 28 ejus usus *ibid.* species *ibid.*

R

Radix quid 52
Relatio diversa vocabuli ad reliqua parit *sensus diversitatem* 59 est indicanda in Lingua perfectissima per *certa signa* 60
Res Similes similia debent habere nomina in Lingua perfecta 51

S

Scribere quid 22
Scriptura Universalis quid 31
Sermo quid 12 intelligibilis quid *ib.* minus intelligibilis quid *ibid.* non competit *Brutis* 13
Signa Cogitationum sunt varia 6 Cogitationum sunt vocabula 10 demonstrativa inserviunt ad communicandas cogitationes 6 Distinctionum quid 56 illa sunt necessaria in Lingua perfecta 57 Scripturæ sunt *arbitraria* 23
Signa scripta accidentalia quid 32 scripta derivativa quid *ib.* scripta essentialia quid *ibid.* scripta primitiva quid *ib.*
Sonus quid 7
Suppositio diversa efficit sæpe sensus ambiguitatem 65
Surdus a nativitate num aptus sit ad *Linguam vernaculam* discendam 14 quomodo *Linguam vernaculam* addiscere queat 15
Syllaba quid 66 brevis quid 78 longa quid *ib.* quælibet quando *tres* habeat moras 81 quælibet cur in lingua Hebræa minimum *tribus* gaudeat moris 82
Syllabarum inæqualitas an ex Tono *necessario* oriatur 78
Synonyma quid 46 perfecte talia quid *ibid.* respective talia quid *ibid.*
Syntaxis quid 29

T

Tempora Verborum unde 28
Termini novi in Philosophia num sint tolerandi 45

To-

TONUS quid 74 mutat sæpe vocabuli sensum *ib.* non infert *necessario* Syllabarum inæqualitatem 78 non impedit Syllabarum æqualitatem 79
TONI Variatio est necessaria in Lingua perfecta 75

V

VERBA quid 28 Activa quid *ibid.* Passiva quid *ibid.* Substantiva quid *ib.* quædam *similis soni* postulat perfectio Linguæ 84
VOCABULA quid 9 sunt signa cogitationum arbitraria & aptissima 10 æquivoca quid 41 ea exulant ex Lingua perfecta 42 composita quid 68 illa sunt necessaria in Lingua perfecta 69 mere monosyllabica & mere polysyllabica excluduntur a Lingua perfecta 73
VOCABULA nimis polysyllabica absint a Lingua perfecta 66
VOCABULI Compositi *differentia* ab æquivoco in quonam consistat 68
VOCABULORUM monosyllabicorum ac polysyllabicorum permixtio requiritur in Lingua perfecta 74 dantur variæ species 26 eorundem Contractio est necessaria in Lingua perfecta 68
VOCABULUM DERIVATIVUM quid 52 Primittivum quid *ibid.*
VOCALIS quid 8 Brevis quid *ib.* Longa quid *ib.* ea vel simplicem vel duplicatam moram habet 80
VOCALIUM & Consonantium crebrior permixtio requiritur in Lingua perfecta 70
VOCIS animalis formatio 8
VOX animantis quid 7 utrum corpus an incorporeum quid *ibid.* est signum cogitationum 8
VOX articulata quid 9 illa non competit Brutis *ib.* inarticulata quid *ibid.* monosyllabica quid 66 polysyllabica quid *ibid.*

ERRATA	PRÆCIPUA
Pag. 9, lin. antepen. articulatas	articulatæ
Pag. 93, lin. 1. alios	alius
ibid. lin. penult. complexus	conplexus
Pag. 95, lin. 4. a fine Cæsares	Cæsases

NOI

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. *Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore del S. Off. di Venezia* nel Libro intitolato *Diſſertatione de recta Linguarum diſcendarum ratione : de variis Linguarum Perfectionibus, quibus accedit Meditatio Philoſophico-Critica de Perfectione Linguæ &c. Auctore Jacobo Carpovio*; non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Battiſta Recurti*, *Stampatore di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 26. Aprile 1746.

(Alviſe Mocenigo 2.° Ref.
(Zuanne Querini Proc. Ref.
(



Regiſtrato in Libro a c. 25. al n. 1[illegible]

Michiel Angelo Marino Seg.

Reg. al Magiſtr. Ecc. della Beſtemmia

Franceſco Gadaldini Seg.